ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO

Fridericus Christianus

Regius Poloniarum et Electoralis Saxoniæ Princeps

Joa. Cattini inci.

DE VARIOLIS ET MORBILLIS TRACTATUS PHYSICO-MECHANICUS

AUCTORE

PHILIPPO DE VIOLANTE

NEAPOLITANO

PHILOS. ET MED. DOCT.

Sereniſſimi & Potentiſſimi REGIS POLONIARUM
Archiatro & Conſiliario.

SERENISSIMO REGIO ELECTORALI

PRINCIPI

FRIDERICO CHRISTIANO

DICATUS.

VENETIIS;

APUD GUILLELMUM ZERLETTI.

M. DCC. LII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

SERENISSIME REGIE ELECTORALIS PRINCEPS DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME.

QUÆ *sunt (inter plurimas alias) potissimæ causſæ, quæ me non ſolum inducunt, ſed penitus cogunt hunc meum de Variolis, & Morbillis*

billis TIBI SERENISSIME PRINCEPS *offerre, & dedicare Tractatum; officii mei debitum, & grati animi obligatio. Et quidem quum* TU, OPTIME PRINCEPS, *extes, qui variolas nondum passus fuisti, & ego prope septuagenarius sim, muneris mei esse duxi, ut si hæ* TIBI *post meum obitum aliquando contingere possint (quod* DEUS O. M. *morbum hunc, ceterosque alios a* TE, *semper avertat, incolumemque conservet), ut saltem mea methodus in his feliciter curandis, per multos annos, ac innumeras experientias per Italiam, Hispaniam, & Germaniam acquisita, & in hac Opella contenta* TIBI *adsit, ut hoc pacto nequidem mortuus, officio meo,* TIBIque *deesse videar.*

Al-

Altera deinde cauſſa eſt grati animi mei obligatio, ut pars hæc ſtudiorum, elucubrationumque mearum eo præſertim TIBI *debeatur, quia pretioſiſſima valetudo* TUA *a primo adventu uſque meo hic Dreſdæ ſpeciali modo mihi commiſſa viſa eſt. Etenim in duorum annorum, quod olim ſuſcepiſti per Italiam itinere,* TIBI, SERENISSIMÆque GERMANÆ TUÆ *utriuſque Siciliæ* REGINÆ, *ad* EJUS REGIUM SPONSUM *tunc Neapolim properanti, totoque* TUO *nobiliſſimo Comitatui me ſolum* REGII GENITORES TUI, TUque BENIGNISSIME PRINCEPS *præſto eſſe voluiſtis; & nunc de ſalute mea, ætate jam feſſa, tam ſolicitos* VOS *eſſe Clementiſſime oſtenditis.*

Benigne igitur munuſculum hoc, prout TUI *moris eſt, excipere dignetur, auctoremque in* TUA RE-GIA *protectione conſerva; nec eum (qualis eſt) dedignare ultro fatentem*

REGIÆ, ELECTORALISque SERENITATIS TUÆ

Humillimum, addictiſſimumque famulum

PHILIPPUM DE VIOLANTE.

LECTOR AMICE.

IMmanis eſt quidem ſuapte natura Variolarum morbus, cui quævis ætas, & quævis ſubditur regio. Attamen quum tot funerum non ſit ipſe cauſſa ſolus, quin potius (nec fileam veritatem) in præjudicatas medentium opiniones ſæpenumero culpa ſit derivanda, meum eſſe duxi tam ægrotantium incolumitati, quam artis decori hac opella, quantum quidem in me eſt, proſpicere.

Vetus iſte morbus, ejuſdemve cognitio calamo ab Arabibus primo nobis tradita fuit; at aliquantulum (ut rerum primordiis contingere ſolet) obſcura; firma tamen methodo, & ſufficientibus ſulta rationibus. De hac quoque plures ex Europa antiqui diſ-

ſe-

ſeruerunt, inter quos tum in deſcriptione, cum in curatione, qui Arabibus propius ſteterunt, eos fuiſſe feliciores deprehendimus. Verum philoſophandi a non paucis ratio mutata eſt, quippe rem leviter, & ſuperficie tenus dijudicantes, ad ea, quæ oculis ſecernuntur, ceteris, & quidem neceſſarioribus derelictis, animum vertendum eſſe ſibi perſuaſum habuerunt. Videntes namque hi fere nihil naturam in hac affectione, præter expulſionem ad cutim, moliri, propenſionem iſtam, ſeu expulſivum motum, ſi in eo natura deficiat, continuare neceſſum autumarunt; ab antiquorum ideo præceptis purgationes, atque phlebotomias jubentibus, ob morbi cauſſæ ignorationem, recedentes.

Hæc eorum argumentatio ipſos, pleroſque etiam decepit; haud tamen mirum, quod ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt. Hinc purgantia aliqui (quamvis evacuationes

nes ſponte ſupervenientes innocuas fuiſſe teſtentur) aut deſpiciunt, aut damnant; quidam vero prudentius de eorum neceſſitate ſuaſi, ea nihilominus parum commendant. Opinionem ſuam falſam præjudicata jam turba exinde firmavit, quæ nimis intenta expellentibus, dum evacuantibus bellum indicit, citius quam par eſt, quos ab orco revocare ſatagit, lacrymabili fato pernecat.

Neque vero hujuſmodi cæcitas multum diminuta eſt a multiplici, atque exacta hujus morbi hiſtorica enarratione, quam ſapientiſſime quidam Anglus (*) in lucem prodidit; ſed hac forſan ratione, quod ne problemata ſolveret, cauſſarum ipſe confeſſus eſt ignorare principia, ſuæ optimæ methodi haud copioſos imitatores effecit. Aſſeruit æque Anglus alius (**) de mechanices ſcientia optime meritus, atque ſuis maxime commendatus operibus, rem, quotieſcumque ſive phle-

bo-

(*) Sydenham. (**) Freind.

botomiis, ſive purgantibns (prout hujus affectionis ſtatus expoſtulabat) uſus fuit, ad votum proceſſiſſe; eoſque promptius deceſſiſſe, quibus hoc levaminis genus, aut negatum fuit, aut tarde nimis conceſſum.

His vero nihil obſtantibus, perinde ac ſi hæc artis lumina oculorum aciem quorumdam lædere potius, quam fanare deberent, contra hanc methodum ſtrepunt, & errores novis tegendo erroribus indebitum ſibi præfigunt timorem, variolarum ſcilicet retroceſſionem a purgantibns exoriri. Ad cujus mentium pertinacem depellendam præoccupationem, gratum tibi fore exiſtimavi, ſi morbi hujus, ejuſque productricis cauſſæ, ſolida propoſita prius idea, inde adæquata, proportionataque media ad illum vincendum exponerem, quæ ab auctoritate cordatorum ſcriptorum habentur, demonſtrativis rationibus innixa, multiſque ſuffulta experimentis. Quod vero repeti quandoque

ea-

eadem, atque iterari ſæpius in hoc opuſculo contigerit, quæſo ne graverir, ſcias enim me conſulto id egiſſe, quo magis erudiantur lectores, meaque hæc methodus firmius in animis imprimatur.

Adnotabo itaque variolarum tempora atque periodos, & tam præcedentia, quam ſubſequentia, ſi non omnia, plurima ſaltem ſymptomata tangam, quorum, cauſſæque indicationi aptam, longo a me ſtudio, uſuque acquiſitam admodum fidelem curationem adjiciam.

Faxit interim DEUS, quod juvandi intentum minime hoc labore fruſtretur. Tuque ſi quid in ſequentium lectione (ut ſpero) utilitatis, & emolumenti invenias, DEO ipſi grates referto; ceteris vero defectibus veniam amanter indulgendo diutius vive, & vale.

NOI RIFFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *F. Paolo Tommaſo Manuelli* Inquiſitor General del Sant'Officio di *Venezia*, nel Libro intitolato: *De Variolis*, & *Morbillis Tractatus Phyſico-Mechanicus Auctore Philippo de Violante Phil.*, & *Med. Doct. &c.* non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Guglielmo Zerletti* Stampator *di Venezia*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 8. Giugno 1752.

(*Gio: Emo Proc. Reff.*
(*Barbon Moroſini Kav. Proc. Reff.*
(*Alviſe Mocenigo 4°. Kav. Proc. Reff.*

Regiſtrato in Libro a Carte 27. al Num. 281.

Gio: Girolamo Zuccato Segret.

Adi 12. Giugno 1752.
Regiſtrato nel Magiſtr. Eccell. degl'Eſecutori contro la Beſtemia.

Alviſe Legrenzi Segret.

DE

DE VARIOLIS.

VARIOLARUM MORBUS (generice loquendo) salutaris potius, quam pernicioſus a pluribus ſcriptoribus cenſetur: Etenim non ſolum humana corporis conſtitutio (quæ naturæ nomine vocari ſolet) malignam, venenatamqùe, ut ita dicam, variolarum cauſſam primis criticis diebus ad cutem expellit, verum etiam tunc temporis plurimas alias corporis impuritates exturbat, removet, abducit, atque ſenſibiliter ad cutem hoc expulſionis tempore ablegat. Pueri utplurimum, ac juvenes, qui laxiori, & teneriori cute donantur, hoc morbo facile corripiuntur; in qua ætate etiam cutis pori, & milliarium glandularum excretorii tubuli laxiores, amplioreſque ſunt, quam in provecta ætate; ideoque aptiores ad morbificam cauſſam a centro ad peripheriam expellendam, media glandularum ſeparatione cenſentur. At licet ad expul-

ſionem ſit facilior hæc ætas, attamen pluries variolis, ſint ſporadicæ, ſint epidemicæ, (ut inferius dicemus) hæc quoque miſere perit. Huic igitur cladi, quantum in homine eſt, obviam ire deſiderans, preſſo quamvis, atque contracto ſtylo morbi hujuſmodi deſcriptionem omnimodam, & ſolidam curativam methodum perutile, neceſſariumque hic palam facere autumavi.

DE VARIOLARUM ORIGINE.

§. I.

STatim ergo ad rem accedendo, variolæ, ſumptæ ut ſic, ſalutares utplurimum potius ſunt, quam perniciosæ, totum namque corpus februant, atque expurgant. Verum quia aliæ benignæ ſunt, levamini humanæ naturæ inſervientes; malignæ autem aliæ, quæ tum a medicinam facientibus, cum a ſcriptoribus omnibus ratione effectuum lethales habentur, (nam quovis anni tempore, omni ætate, in regione omni ſeu orientali, ſeu meridionali, ſeu aquilonari, ſive frigida, ſive calida, ſive temperata frequentia funera gignunt; quin ſi epidemicæ ſint in regionibus frigidis fere nemini parcunt): de his tantummodo ſermonem inſtituam, omnia fideliter, libenterque aperiendo, quæ ad earum contundendam ſævitiam longo ſtudio, diuturnaque experientia valere cognovi. De benignis ſileam, curationi enim iſtarum mulieres, atque aniculæ ubique locorum fere ſunt ſatis; vel ad ſummum medicus, qui mediocriter in arte valeat, dummodo Aceſias non ſit.

§. II.

Omnes cutaneæ eruptiones ἐξανθήματα, ſeu ἐνθύματα a priſcis Græcis medicinæ ſcriptoribus appellatæ fuere. Veteres Latini ad Græcorum imitationem papu-

papulas omnia exanthemata vocarunt; ita Scribonius Largus Medicus, & poſt ipſum Marcellus Medicus. Medici Arabes, ut Rhazes, Avicenna, & alii exanthemata in puerorum corporibus cum febre apparentia, variolas morbilloſque appellarunt: Avicenna vero morbillos cholericas variolas eſſe credidit, atque ſcripſit.

§. III.

Primam variolarum, morbillorumque cognitionem ex Cl. Joannis Freind hiſtoria Arabes Mahumetani habuerunt, ipſorumque deſcriptionem poſteris reliquerunt: A Græcis enim ſcriptoribus hos morbos neque deſcriptos; neque cognitos fuiſſe aſſerit. Crediderunt inſuper Arabes in Ægypto originem ſuam hanc ægritudinem habuiſſe, indeque in alias regiones diffuſam, fabuloſa potius, ac adeſpota aſſertio, nulla prorſus auctoritatis dignitate fulcita, & a ſuppoſitione tantum eruta; immo judicarunt adhuc a longinquis orientalibus regionibus in Ægyptum primo, Syriam, Paleſtinam, & Perſiam hoc contagium adſportatum, ac temporis decurſu per totam Aſiam, Ciciliam, Africam, ac demum trans Mediterraneum mare ad Hiſpaniam uſque dilatatum, conceſſumque fuiſſe. Vide igitur ex iſta enarrata hiſtoria variolas, & morbillos haud novas ægrotationes extitiſſe; nam ſi ita res ſe haberet, utique Arabes pro novo morbo ipſas deſcripſiſſent, neque literis conſignaſſent ab Ægypto, vel a longinquis orientalibus regionibns originem ſuam habuiſſe, a quibus poſtea per Syriam, Palæſtinam, & Perſiam contagium hoc fuiſſe diffuſum, ac demum per totam Africam graſſando in Europam transmiſſum; quibus rationibus Mercurialis nimis propendens ſcriptis prodidit antiquitus variolas, morbilloſque minime extitiſſe, ſed dato tempore vitio cæli, vel aeris introductos, ac poſtea hæreditate a poſteris acquiſitos; quod minime rationi conſonum

mihi videtur. Concordat dictus auctor cum Rhaze dicente morbos hos peſtem eſſe; laudat alios ſcriptores, qui de peſtiferis morbis differentes iis variolas, morbilloſque adnumerant; & licet variolæ, morbillique peſtis ſpecies ſint, & per Mercurialem (*a*) a vitio cæli, vel aeris primo acquiſiti, & per hæreditatem poſteris propagati, non præ ſe ferunt utplurimum illud virus, quod metipſa peſtis vitio cæli, vel aeris diſſeminata conjunctum habere videtur; at ſi qui a peſte ſuperſunt, hæreditariam peſtem poſteris minime communicant; quomodo ergo variolæ, morbillique, qui utut peſtis ſpecies ſint, virus tamen illud longe potentiſſimum, efficaciſſimum, malignum, ſicuti peſtis cæli, vel aeris vitio non continent, poſſunt hæreditarium morbum conſtituere?

§. IV.

Si hoc verum eſſet, ſemper variolæ, & morbilli epidemici forent, & nunquam, niſi epidemia vigente in conſpectum ſe darent, eaque tranſacta evaneſcerent; redeunte vero epidemia iterum comparerent: At quamvis quandoque epidemici ſint, & univerſalem affectionem demonſtrent, tamen fere ſemper omni anni tempore abſque contagio, vel epidemia ſporadice conſpiciuntur, atque adeo non ſunt omnino epidemici, quamquam multoties contagio propagentur; eoquè magis quod variolarum, morbillorumque cauſſa nobis inſit, non extra nos; quæ latens cauſſa, vel a contagio movetur ad morbum producendum, vel ex ſe ipſa, ob alias, atque alias circumſtantias, quæ a contagio, vel epidemia, vel cæli, vel aeris vitio plurimum differunt, tunc vero variolas, morbilloſque ſponte, ſeu ſporadice erumpi videmus. Qua obſervatione facta nos certi ſumus, vel ſaltem eſſe debemus variolarum,

(*a*) De morb. pueror. lib. 1, Cap. 2.

rum, morbillorumque cauſſam in nobis eſſe, non extra nos. Ceterum licet alii dicant Græcos ſcriptores minime variolas morbilloſque cognoviſſe, neque deſcripſiſſe, viderunt tamen, ut ego mente concipio, quamquam de iis certa, & peculiari ratione non tractaverint.

§. V.

Vidit Hippocrates morbillos epidemicos (*b*), & multos pueros hac affectione interiiſſe ſcripſit; morbus vero ſimilis erat morſibus pulicum, ut morbilli eſſe videntur: Ita etiam de filio Euphranoris (*c*); & de iis, quos etiam Pherecide (*d*) viſos eſſe memorat, atque octavo die apparuiſſe dicit. Et in Sileni hiſtoria (*e*); & in Tymonactis puero duorum menſium (*f*), atque paſſim alibi: Ex quibus ſatis clare oſtenditur Hippocratem morbillos vidiſſe, obſervaſſe, atque curaſſe, minime vero ex præſcripto regulæ, rectaque methodo ipſos deſcripſiſſe, neque quid certi de ipſorum curativa methodo, ſicut Arabes fecerunt, cognitum, exploratumque reliquiſſe. Vidit etiam variolas, quarum ſub puſtularum rubrarum nomine, rotundarum, parvarum, & cetera mentionem in libris epidemiorum ſæpius fecit, etiam ſi minime indicaverit ſejunctum a reliquis morbum extitiſſe, neque quomodo incipiat, quomodo curari oporteat, atque deſinat obſervaverit.

§. VI.

Quamquam variæ ſint de hac re opiniones, juvet tamen auctorum diſcrepantium diſſidia reſcindere, & hic loci breviter allegare quidquid Græci ſcripſerunt, Hippocrates ſcilicet, & Galenus, qui

(*b*) Primo Epidemior. (*c*) V. Epidemior.
(*d*) VII. Epidemior. (*e*) Lib. I. Epidemior.
(*f*) Lib. VII. Epidemior.

ſub nomine exanthematum variolas, morbilloſque explicuerunt; nam puſtulas (*g*) in quadam peſtilentia in interiori aſperæ arteriæ tunica, totaque extima corporis parte contingentes, non alio, quam exanthematum nomine appellavit, quod etiam ex commentatione Galeni (*h*), qui in quadam peſtilenti conſtitutione magna ecthymata apparuiſſe dicit, id eſt puſtulas quaſdam ſponte in cute florentes a craſſis humoribus genitas; ex quo loco aperte evincitur quo nomine apud Græcos antiquos variolæ appellatæ fuere; ita Celſus lib. 5., cap. ultimo, num. 14. Plinius etiam papulas eſſe dixit; at alibi Boas variolas appellaſſe legimus (*i*); nam quando corpus rubet, & papulæ erumpunt, ipſas idem auctor Boas vocavit. Crederem ab hoc nomine Boa vocabulum derivaſſe, quo variolæ Neapoli appellantur; nominant quippe Neapolitani variolas vernaculo nomine *Bone*. Ludovicus Mercatus (*k*) rationem nominis deſumptam eſſe a Varis, & Morbo ſcripſit: Variolæ quidem ſunt puſtuloſæ excreſcentiæ, quæ in facie plerumque apparent, cum evidenti cutis aſperitate.

§. VII.

Ne Ætio quidem variolæ, & morbilli incognitæ fuere; attamen nomine Arabo variolarum, quo nunc communiter utimur, haud verbo notavit, ſed papulas, ut veteres Latini ſcriptores dixerunt (*l*), quas in corporibus infantum fieri ſcripſit, & quæ in ulcera deſinebant, & maculas relinquebant. Cognovit & morbillos, minime vero morbillorum nomine uſus eſt, ſed aliquas parvas puſtulas eſſe li-

teris

(*g*) Hipp. lib. De morb. curand.
(*h*) Lib. 3. morb. vulgar. Hipp.
(*i*) Lib. 24. Cap. 8.
(*k*) De pueror. morb. lib. 2. Cap. 22.
(*l*) Lib. 14. Cap. 63.

teris prodidit, quæ pulicum morſibus aſſimilantur (*m*): In iſtis ergo papulis, & exanthematibus variolæ inveniendæ ſunt; in iſtis eruptionibus morſibus pulicum comparatis perveſtigandi ſunt morbilli, qui porro maculæ ſunt perquam ſimillimæ morſibus pulicum recenter factis, habentes cum ipſis homologiam.

§. VIII.

Hieronymus Fracaſtorius Veronenſis medicus (*n*) ſcripſit variolas peſtilentium febrium ſigna eſſe, quæ pueros maxime invadunt, deinde juvenes, raro tamen ſenes, eo quod eorum natura ſit magis imbecilla; puerorum autem, & juvenum fortior, quorum corpus ad omnem ſanguinis excrementitii expurgationem paratius eſt. Extant adhuc alii auctores, qui inter morbos peſtilentiales ipſas reponunt, ut Rhazes, & Mercurialis, & alii nonnulli. Atque hoc quidem eſt, quod ſcriptum fuit a duobus Græcis medicinæ ſcriptoribus, & a Latinis antiquis. Neque hic loci omnium ſcriptorum catalogum afferre cupio, valde enim moleſtum foret; poſſunt vero ii, qui nimium in quærendo diligentes ſunt Joannem Manardum (*o*), Sebaſtianum Auſtrium (*p*), Joannem Langium, Fernelium (*q*), Paræum, & ſexcentos alios auctores legere, & ſuæ curioſitati ſatisfacere. Sunt præterea qui variolas inter morbos cutaneos, ſicuti ſcabiem, lepramve adnumerant, ut Alſaharavius, & alii.

(*m*) Lib. 5. Cap. 129. tract. de puſtul. quæ comitantur initia febris pravæ.
(*n*) De morb. contag. Cap. 13.
(*o*) Lib. 7. ſuar. epiſt. Epiſtol. 2.
(*p*) In ſuo libell. De morb. pueror.
(*q*) Lib. 2. De morb. peſtilent.

§. IX.

Ceterum, quod ad me attinet, hujus ſum ſententiæ, nos non importaſſe Indis variolas, morbillosque; neque e contrario ab Indis luem Celticam accepiſſe, ut plurimi ſcripſerunt. Fuerunt in Indiis variolæ, fuerunt & morbilli: At quia in regione illa Indiæ occidentalis ſumma aeris clementia adeſt, & victus ratio optima, affectionem iſtam antea levem fuiſſe opinamur, quemadmodum & per totam ferme Italiam variolas levem utplurimum morbum eſſe adhuc obſervatur; immo in Regno Neapolitano, ac etiam in ipſa Urbe vix Medici in ipſarum curatione adhibentur (loquor de majori numero ægrotantium, & præcipue de infimo plebis ordine), cum raro malignæ, & lethales appareant. Apud Indos vero, poſtquam incolæ ſuperiori diuturna obſidione ab Hiſpanis ſubacti fuere, quum per id temporis victus ratio mutata, & conturbatio, confuſio, terror, & a prima tranquillitate diſceſſus; immo nimii labores, mærores, anguſtiæ ſecutæ fuerint, variolarum morbus epidemicus factus immaniter inibi graſſari cœpit, plurimoſque interemit. Inſuper lues Celtica ſemper ubique fuit, ut paſſim legitur apud omnes antiquos auctores, & præcipue apud Hippocratem ſcribentem, tumores ad inguina fœminarum, quibus menſtruæ evacuationes ſupprimuntur prorumpere, quos perfecto evacuationum defectioni nunc nemo adſcribit, ſed tantum huic Celtico morbo; loquitur etiam de fluxu albo mulierum, loquitur de ulceribus oris, de articulorum doloribus, de glandularum colli tumefactione, de capitis tumoribus, & aliis affectionibus ad luem Celticam ſpectantibus; attamen nec luem Celticam nominare ſcivit, neque ipſam ſeparatim deſcripſit. Quod igitur a Græcis haud fuerit antea peculiari nomine appellata, neque deſcripta, non ideo aſſerendum eſt morbum hunc eſſe plane novum

vum, & ab Indis adſportatum. Inſuper quod in Sacris Bibliis de antiqua illa ſeparatione hominum fluxu ſemineo, ſive albo, & lepra laborantium legitur, ad luem Celticam non ſine ratione eſſe referendum cenſemus. Fatendum igitur antiquitus luem Celticam graſſare cœpiſſe, ob hominum tum in coitu, cum in victu intemperantiam; atque etiam ob alias, atque alias circumſtantias, quarum vi, vel in fluxum ſemineum, nunc gonorrhœa dictum, vel in penis ulcera, vel in alium ſimilem morbum inciderunt. Rebus ita ſe habentibus, pravum, atque obnoxium vivendi genus continuando, morbus in dies magna ſumpſit incrementa, & lues adaucta fuit. Ex quo deducimus, quod licet haud proprio nomine, ut nunc, neque a Græcis, neque a vetuſtioribus Latinis appellatam, aut deſcriptam legamus, eam tamen habuerunt antiqui. Extiterunt etiam vetuſtis temporibus variolæ, & morbilli, attamen hæ affectiones neque antea nominatæ, neque deſcriptæ fuere, ſicuti Arabes poſtea fecerunt; & quamvis a primis hominibus variolas, morbilloſque poſteri acquiſiverunt, non ideo pro hæreditario morbo habendi ſunt; ſed quia una ſemper, eademque tum antiquorum, cum recentiorum hominum corporis organizatio fuit. Crederem etiam, quod poſt univerſale diluvium tellus, & aer corrupti, ut Sacræ Bibliæ loquuntur, facile hac de cauſſa acrius morbi hujus vim acuerint, quod probabile eſt, cum alias eodem modo noſtra corporea machina impræſentiarum compoſita ſit, ac illa primorum hominum.

bi

VARIOLÆ QUID SINT?
EARUMQUE SPECIES, SEU DIVISIO.

§. X.

VAriolæ morbus ſporadicus dici merentur, nam ipſæ ſparſim hunc, & illum ſingulatim multoties corripiunt, quamquam etiam pluries contagio propagentur, vel epidemicæ ſint. Dicere poſſumus vagantem, erraticumque morbum eſſe, qui non ſemper pernicioſus, & lethalis evadit, dum bene tractetur: Si enim multi pereunt, non ſemper a qualitate, & a quantitate morbi hoc evenire videmus; ſed utplurimum vel a prava methodo, vel a plurimis infixis præjudiciis, qui a recto curationis tramite deviare faciunt. Multi quinimmo evadunt; omnes quidem malignæ non ſunt; natura enim multoties ipſarum curationem adjuvat. Contagioſæ tamen ſunt, non ad mutuam diſtantiam, ſed ad mutuum commercium, & viciniam ægrotantis cum ſano. Magna porro ex parte variolæ ſalubres eſſe ſolent, dummodo (ut dixi) bene curentur: Quoniam illi ſucci pravi, quibus plurimos ſive pueros, ſive adultos quandoque infarctos eſſe cenſemus, per illarum eruptionem, ac abſolutam curationem evacuantur, expelluntur, & æger impoſterum perfecte ſanus evadit. Hac de cauſſa variolarum eruptio pro criſi ab omnibus ſcriptoribus habetur; attamen ipſas bene curare; & præcipue eas, quæ ſymptomatibus, characteribuſque malignis ſociatæ erunt, hoc opus, hic labor eſt: Nam licet benignæ ex ſe curentur, & ſine ulla, aut pauca medicæ artis manuductione, malignæ vero non ſic; opus quidem eſt ad omnia attendere, & recta philoſophandi methodo uti, ut poſſit Medicus a præjudiciis ſolutus naturam morbi

pi inveſtigare ; quod facile ab iis aſſequitur , qui juxta Pappi ſententiam ad rerum naturalium inveſtigationem mechanicæ regulas adhibent.

§. XI.

Semper variolarum morbus ab acuta febre , ab Avicenna concluſa, ab Avenzoar Mauritano impetuoſa dicta, incipit, quæ a materia plus, minuſve venenata , prava , & maligna in humano corpore latente producitur ; & ejuſdem materiæ criſi ad corporis peripheriam in puſtularum forma apparente deficit ; & juxta ipſarum puſtularum aſpectum, formam ſcilicet, & materiæ contentæ qualitatem , atque alias ſocias circumſtantias majorem, vel minorem in ipſis malignitatem judicamus.

§. XII.

Variolarum ſpecies plures ſunt , aliæ benignæ , & diſcretæ , aliæ vero , cohærentes ſcilicet , confluentes, ac anomalæ malignæ omnes cenſentur : Attamen licet (generice loquendo) malæ indolis ſint, differunt tamen inter ſe , pro majori, vel minori, quam præ ſe ferunt maligni , ac putridi humoris quantitatem, vel qualitatem, vel ob alias, atque alias circumſtantias, ut inferius dicemus. Etiam, quoad effectus , inter morbos malignos recenſendæ ſunt ; contagio enim multoties propagantur, quin Rhazes peſtem eſſe ſcripſit, ut ſuperius §. III. diximus.

§. XIII.

Variolarum ſeminarium in nobis a generationis exordio ineſt ; etenim cum homines fere omnes variolas paſſi ſint, & qui ſequentur, hac etiam affectione laborabunt , manifeſte ſatis eſt cauſſam in nobis a generationis principio ineſſe.

§. XIV.

Variolæ cum elevatione, & protuberantia manifeſta

festa fiunt, semperque nova adjectione usque ad maturationem crescunt; post maturationem vero paullatim per detractionem, evaporationem scilicet, decrescunt; materia namque intus latens decidit, atque avolat; quod vero magis crassi, densiorisque supereſt in crustam solidam ultimo obdurescit; ideoque vere pustulæ sanioſæ cum Ætio dici merentur.

§. XV.

Malignæ semper sunt, quæ cum febre acuta, & continua, horripilatione prævia, ariditate cutis, languore, sive lassitudine dolenti totius corporis, & præcipue dorsi (quod est symptoma peculiare, sive proprium variolarum), lumborum, tussi sicca, respiratione difficili, gravi capitis dolore, præsertim pulsatorio, vigiliis, & delirio, quandoque vero comate, & lethargo, cordis oppressione, & syncope, rubore, & lacrymatione oculorum, atque impotentia luminis aspectum sustinendi, puncturæ sensu per totam corporis peripheriam, ac si acu pungeretur, nausea, vomitu, vel vomendi conatu, pruritu narium, pandiculatione, oscitatione, siti immodica, subsultibus, & terrore in somno, prorumpunt. Doloris etiam sensum in ventriculo, & circa cordis scobriculum ægroti persentiunt, dummodo pars illa leviter manibus prematur; & dolor ille ventriculi morbificæ causſæ in ipso latentis soboles est; urina subalbida, subtilis, & aliquantulum turbata, signum proprium variolarum proxime erumpentium; multoties ulterius vel præcedunt, vel subsequuntur convulsiones, & epilepsia in infantibus, vel pueris; at in iis, qui jam a dentitione immunes sunt, convulsio, vel epilepsia semper promptam variolarum eruptionem denotant. Febris igitur species, invasionisque modus interiorem causſam demonstrant, atque exprimunt; si autem morbifica materia in nervoso genere se projiciet, tunc urinæ pellucidæ, aquosæ, & copiosiores defluent, ut in malignis

lignis febribus, vel cephalicis affectionibus obſervatur. Ubi vero in ſanguinis maſſa latebit, tunc urinæ rubræ apparebunt, tinctæ, & contentis ſaturatæ. Quæ omnia ſciviſſe oportet, antequam Medicus ad curationem ſe accingat; tanta enim eſt ſignorum neceſſitas, ut his ſublatis medicinæ fundamenta corruant. Perpende igitur attente quali, quantaque malignitate tot ſymptomata producantur; neceſſe eſt ingentem eſſe cauſſam, quæ tot, & tam gravibus ſymptomatibus ægrotantem exercet; & licet non omnia in febri varioloſa ſemper obſerventur, attamen ubi variolæ confluxuræ erunt, vel alio pravo charactere erupturæ, plurima in conſpectum venient. Febris hæc tamdiu durabit, quamdiu eruptio variolarum omni ex parte facta fuerit; poſtea vero ſilet, & pulſus in ſtatu naturali obſervatur: Incipiente autem maturatione reviviſcit; at quomodo quandoque peſſime reviviſcat, in principio videlicet maturationis, ſuo loco dicemus.

§. XVI.

Morbus iſte determinata tempora habet, ſicuti alii morbi, principium ſcilicet, augumentum, ſtatum, & declinationem. Principium eſt febris exordium, & macularum eruptio; augumentum eſt illarum elevatio; ſtatum vero earum maturationem dicimus; & declinationem, quando puſtulæ areſcunt, & exſiccantur; quæ tempora ſingula diſtincte, ac ordinatim examinabuntur, & exponentur.

CAUSSÆ VARIOLARUM THEORIA.

§. XVII.

TAM abſtruſa, & incognita variolarum cauſſa uſque adhuc viſa fuit, ut merito ſcriptores dicere potuerunt, Felix qui rerum potuit cognoſce-

re

re cauſſas; attamen quiſque pro ſua ſententia, & ſuopte judicio eam effingere adlaboravit: Neque (ut verum fatear) ſcriptorum ullus meliorem, veroſimilioremque excogitavit, quam antiqui Arabes, quorum aſſertum quamquam verum non ſit, veritatem tamen quodammodo mentitur.

§. XVIII.

Rhazes, qui primus variolarum ſcriptor fuit (ut ipſemet aſſeruit) per contagium ſanguini introductum morbum hunc produci judicavit (ad modum fermenti piſtoris, vel muſti recentis), & citius, vel tardius materiam morboſam natura per cutanearum glandularum orificia a ſe expellente ſanguinem purificari. Hoc contagium, ſeu fermentum aſſerit a matre infanti in utero jacenti impertitum; qua de cauſſa omnes homines his morbis obnoxios eſſe neceſſe erit. Pulcre inſuper dixit variolarum epidemiam facilius tempore veris, vel autumni reviviſcere, præſertim quando hyemale frigus valde fuit temperatum, & æſtas pluvioſa; quæ animadverſio rationi valde conſona videtur.

§. XIX.

Helmontius variolas ex veneno oriri ſcripſit; attamen dicit, quod hujus veneni eſſentia non ſit demonſtrabilis a priori, ſed per effectus proprietatem veneni mentiatur. Sed hoc magis eſt inanibus vocibus ludere, quam rationibus ea, quæ ſunt, explicare: Etenim ſi variolarum venenum demonſtrabile non eſt, ergo cauſſa earum eſſe non poteſt, & per conſequens illius ſententia nulla. Sed ſunt non pauca, quæ oſtendunt auctorem hunc nihil recte ſtatuere, nihil veri dicere, plura vero vana, & inania jactare.

§. XX.

Kircherus, Lindanus, & alii variolas a vermibus gene-

generatas esse dixerunt; variolarumque pustulas nihil aliud continere asserunt, quam pullulationem, seu glomerum minutissimorum vermium cutem erodentium.

§. XXI.

Sunt præterea inter scriptores aliquammulti, qui variolarum caussam a menstruis impuritatibus in prægnationis tempore a fœtus venis absorptis repetendam ideo crediderunt, quod catamæniorum fluxum ratione impuritatum, partiumque heterogenearum in sanguine contentarum inepte exoriri ab ipsius fermentatione sibi persuadebant, & ejus opera impuritates a sanguine decidere, & alienari. At si hujus naturæ, (hoc est tam impurus) sanguis menstruus censeri debet, quomodo fœtus in utero jacens, & eodemmet sanguine enutritus (ut ipsi asserunt) vivit? vel quomodo talis fermentatio non statim ac in lucem editus est, vim suam in ejus sanguine non exercet, sed in longum, vel incertum temporis spatium variolarum eruptionem differt? Sed quot, quantasque improbabilitates, & absurda hæc sententia involvat, unusquisque, qui pulchre imagines rerum efformare sciet, clare cognoscet; etenim catamænia non fermentationis ratione, sed ob mechanicam vasorum organizationem suum menstruum fluxum producunt, qui periodice, absque ulla fermentatione, & absque ulla universali corporis plethora dato tempore fluit, & dato tempore a fluxu desistit; sicuti fons ille Anapavomenon Plinii a Rev. P. Claudio Francisco Milliet de Chales Societatis Jesu, & a Cl. Luca Antonio Portio in libro de nonnullis fontibus naturalibus descriptus.

§. XXII.

Alii dicunt a lactis impuritatibus ab infante lactationis tempore suctis variolarum materiam productam

ductam esse. At ubi impuritates istæ in humano corpore tam diu delitescant, & tuto fruantur refugio, quando omnia liquida in perpetuo motu, & gyro acta, & constituta esse scimus; & quare natus infans non paucis post diebus variolis corripiatur, aut medio lactationis tempore, vel saltem ablactatus, sed multos in puerili ætate, plerosque adultos, aliquos virilitatis tempore, alios prope senium, vel jam senescentes adoriantur, prorsus ignoro.

§. XXIII.

Alii crediderunt seminium varioloſum in partibus spermaticis, & præcipue in cerebro latitare; argumento a convulsionibus, & epilepsia puerorum hoc morbo laborantium desumpto. Hæc sententia si vera foret, omnes in variolarum eruptione convulsivis motibus affici deberent, vel saltem plurimi; at experientia contrarium evincit, nam raro in pueris, & aliis in majori ætate constitutis convulsiones adveniunt, vel sæpe etiam ab aliis, multisque caussis a variolis valde alienis oriuntur.

§. XXIV.

Sydenhamius (*r*) vir valde probus, & ingenuus de productrice variolarum caussa ita scripsit. „ Qualis vero sit hujus morbi essentia, ob naturalem, „ & communem mihi cum reliquis hominibus in„ tellectus defectum, nescire plane me fateor: Præterea Variolarum morbum in quadam peculiari sanguinis inflammatione consistere credit; quam sententiam etiam conatur plurimis rationibus, ac experimentis probare.

§. XXV.

Diemembroechius (*s*) censuit. „ Præstabilius esse

(*r*) p. m. 86. (*s*) In lib. de Variol.

„ esse nostræ scientiæ infirmitatem hic confiteri, „ quam per multas ambages, & vanas conjectu- „ ras nullo fundamento innixas tandem crassam „ ignorantiam prodere. O commendabilem inge- „ nui animi probitatem!

§. XXVI.

Listerus, vir sane egregius, & eruditus variolarum caussam vult ab aliqua noxia bestiola venenata productam, & ad modum contagii a primo infecto homine ad alios derivare.

§. XXVII.

Digbæus (*t*), & alii asserunt variolas a sanguine umbilicali, dum infans in lucem proditur, evenire; ideoque ad talem morbum avertendum, si sanguis probe digitis exprimatur, antequam funiculus umbilicalis ligamento obstringatur, numquam infantem variolis laboraturum atbitratur. Sed si tum Rhazes, cum ceterorum auctorum rationes judicio certo ponderemus, palam fit, variolarum veras caussas minime plene assecutos fuisse, quibus acquiescere possimus. Ne vero lectorem per circuitus ultra, quam satis est, trahere videar, ab enarrandis ceterorum scriptorum minus necessariis sententiis libenti animo supersedeo.

§. XXVIII.

Caussa ergo realis, & effectiva in homine reperitur, & adest, & assignari, & digito (ut ita dicam) ostendi potest, quæ per essentiam, & non per hypothesim talem, tantumque morbum constituit; nec intellectus fictio dici meretur, cum juxta ordinem naturalis œconomiæ hominis demonstrabilis sit, ut docet Hippocrates (*u*) „ Principio

(*t*) In exercit. med. de variol. p. m. 1591.
(*u*) Lib. de officin. Medic., sive de officio Medici.

„ quænam ſimiliter, aut diſſimiliter ſe habeant vi-
„ dendum; idque ex his, quæ maximi ſunt mo-
„ menti, aut facillime cognoſcuntur, aut quavis
„ via, aut ratione comprehenduntur; quæ viſione,
„ & tactu, & auditione percipiuntur, quæque in
„ viſionis, auditionis, tactus, narium, linguæ, &
„ intelligentiæ ſenſum cadunt, ex quibus omnis
„ cognitio noſtra conſtat. „

§. XXIX.

Franciſcus de le Boë Silvius (*x*) pro variolarum cauſſa ſanguinem menſtruum poſuit, ut legere eſt in Cap. IX., num. 37., cui firmiter inhæret, dicendo. „ Inclino tamen, ut accedam illi ſententiæ:
„ In num. vero 44. hoc modo ſcripſit. Si quovis
„ modo vel in ſanguine ipſo, vel in parte aliqua
„ ſingulari, glandulis puta renalibns, quarum ve-
„ rum uſum hactenus ignoramus, lateat antecedens
„ variolarum cauſſa, neceſſe habet illa excitari a
„ cauſſa quavis procathartica, ut fiat eorum cauſ-
„ ſa continens. Hæc tantum ſcribendo, modum haud explicuit, quomodo ipſæ ſint hujus morbi cauſſa; qua de re cum hæc mea ſemper fuit, & eſt ſententia, hoc officii mei erit diffuſe aperire.

§. XXX.

Variolæ (ut etiam morbilli) ab evidenti, & communi cauſſa producuntur, nempe a liquore illo pro atrabiliario ab antiquis habito, & in capſulis atrabiliariis contento, ac reſidente; & vel ab imaginatione, vel a terrore, vel a motu corporis violento, & immodico, vel a contagio, vel alia quacumque ratione commoto, atque a venis abſorpto, qui media ſanguinis circulatione liquida fere omnia contaminat, fœdat, inquinat. Veriſimilius autem, & ma-

(*x*) p. m. 619.

& magis rationi consonum est in hoc fluido potius, quam in aliis enarratis variolarum originem, & caussam collocari; quæ licet interdum consopita in nobis contineri videatur sine ulla corporis offensione, læsione, & morbo; commota tamen, suaque sede deturbata, ac sanguini subinde commixta, talem morbum, vel eo multo etiam nequiorem producere potis est.

§. XXXI.

Capsulæ istæ atrabiliariæ ab aliquibus anatomicis glandulæ renales, vel renes succenturiati dictæ, & succo atrabiliario nigerrimo plenæ, majores inveniuntur in infantibus, quam in hominibus jam adultis: Usus profecto ipsarum omnibus anatomicis adhuc est incognitus; usum tamen aliquem cum habere debeant, nos penitus introspiciendo luculenter deprehendimus variolarum generationi eas inservire; in ipsis porro humorem aptum insidere, & inhærere ad morbum hunc malignum producendum statuimus, qui omnibus, & solis hominibus (ex VVillisii sententia) contingere debet; eoque magis, quod nulla ex caussis a primis Arabiæ scriptoribus ad hæc usque tempora adductis nos ad assensum cogat.

§. XXXII.

Quum vero fieri quandoque possit, ut hujusmodi liquor in atrabiliariis suis capsulis ad senium usque asservetur, facile exinde redditur ratio cur quavis ætate, & tempore variolas, morbillosque valeat excitare, dum aliqua possibilis caussa, quæ ipsum ita moveat, ut in sanguinem concedat, afferri possit, adsit contagium, aut epidemia, vel non. Contagium enim, & epidemia pro caussa tantum externa haberi debet, quæ parum, vel nihil momenti addit; neque morbum hunc inurere valet iis, qui jam variolas passi sunt, vel in qui-

bus capſulæ atrabiliariæ qualibet ratione vacuæ inveniuntur. Quod ſi minime ad hunc atrabiliarium liquorem in propriis capſulis contentum pro variolarum, morbillorumque generatione confugere voluerimus, nugas (ut ait Hippocrates in libro de Priſca medicina), & apologos cum aliis ſcribere neceſſum erit.

§. XXXIII.

Capſulas iſtas, quæ ſupra emulgentes venas jacent, Marchettus, Veslingius, Bartholinus, Riolanus, & alii continere ſcripſerunt humorem melancholicum, ſive acidum pro menſtruo urinæ, ut melius ſcilicet per ipſum urina a ſanguine ſeparari poſſit. At ut in eorum ſententiam me perducerent, vias oſtendere prius debuiſſent, per quas renibus liquorem ſuum capſulæ iſtæ communicant; atque inſuper quare in pueris, qui melancholici non ſunt, majores, & atro ſucco plenæ ſint, in hominibus vero, qui triſtes, & melancholici aliquando ſunt, minores, & vacuæ inveniantur; &, quando homines adoleſcunt, cum renum membrana adipoſa confundantur, neque tam facile, ut in pueris, ab anatomicis diſtingui poſſint. Cum igitur in homine ætate progrediente vacuæ ſint, uſus a Marchetto, atque ab aliis aſſignatus omnino corruit.

§. XXXIV.

Liquor iſte, licet ad parvulas guttulas in ſanguine refundatur, & miſceatur, tanta vi, potentiaque præditus eſt, ut toti maſſæ motum ferventer inordinatum inducat; quamobrem ſi aliquam pravam fluidorum diſpoſitionem in ægrotantis corpore inveniet, eo magis, juxta eamdem diſpoſitionem majorem, vel minorem febrem, majorem, vel minorem puſtularum numerum, ſeu quantitatem, majorem, vel minorem morbi malignitatem producet; ut inferius declarabimus.

§. XXXV.

§. XXXV.

Communicant, atque impertiuntur capſulæ iſtæ liquorem ſuum ſanguini; & primo tali imbuitur liquore truncus major venæ cavæ per dorſum aſcendentis, & dolor, hac de cauſſa, ipſius dorſi efficaciſſimus in hoc morbo producitur; & ex dicti attrabiliarii liquoris majori, vel minori quantitate ſanguini refuſa, major, vel minor dorſi dolor, major, vel minor variolarum quantitas, & qualitas; & ſimul cum febre maligniora, vel mitiora ſymptomata apparebunt.

§. XXXVI.

Neque magnam arteriam dorſum etiam perreptantem immunem a tali labe eſſe, utpote abeodem liquore atrabiliario inquinatam, jam credimus; nam per laterales venæ cavæ ramos, eodem momento ob ſanguinis gyrum, pravitatem ſuam toti maſſæ communicare debet (ut diximus); quæ dorſalia vaſa, cum ad cerebrum uſque pertingant, facile ibi atrabiliarius liquor cum ſanguine adſportatus, juxta majorem, vel minorem ipſius liquoris copiam, vel juxta majorem, vel minorem ipſius acrimoniam, vel ob alias circumſtantias dicto liquori ſociatas, vel mixtas, aut ob ægrotantis diſpoſitionem, non ſolum delirium, & capitis dolorem gravem, & acutum; verum etiam quandoque meninges cerebri tali, vel tali modo vellicando, ac naturali ſuo ordine alterando, convulſiones, atque epilepſias producit, ob damnum, quod ſpiritibus animalibus importat, qui quum particulis maxime exilibus conflati ſint, & vi elaſtica polleant, fluidum aere communi ſubtilius conſtituere videntur, & ad erumpendum e ſanguine viribus ingentibus potiuntur; ideoque ipſorum exploſionem cauſſam epilepſiæ eſſe VVilliſius ſcripſit.

§. XXXVII.

Neque in hoc morbo credendum eſt dorſi, lumborumque dolorem (ut nuper diximus) ab alia cauſſa originem ſuam ducere, quam a liquore atrabiliario in vaſis ſanguiferis dorſum perreptantibus commixto; nam (generice loquendo) ſi hoc a magna tantum ſanguinis effervescentia productum fuiſſet (ut aliqui judicant), quid eſt cauſſæ cur in aliis ardentibus, putridis, malignisque febribus hoc ſymptoma non appareat, cum in his febribus magna adſit ſanguinis effervescentia?

§. XXXVIII.

Animi deliquia in hoc caſu ortum ducunt tum a ſanguine humore atrabiliario imbuto, atque conſpurcato, tum etiam ex quo in ſuperiore ventriculi orificio multæ erumpunt variolæ, quæ vellicationem moleſtam per ſurculos nervorum ſexti paris cordi, cerebroque communicant; quæ vero in fundo ventriculi erumpunt, doloris ad levem manus preſſionem in cauſſa erunt.

§. XXXIX.

Omnes corporis glandulæ (ut ſuperius diximus) tum externæ ad peripheriam pertinentes, cum internæ in viſceribus ſitæ hujus maligni humoris ſeparationem promovent: Vomitus quippe, qui in hoc morbo advenit, non a vellicatione tantum eruptarum in ſuperiori ventriculi orificio variolarum, ſed etiam ab eadem materia a glandulis in ventriculi fundo ſeparata producitur; materia ſiquidem per vomitum rejecta ſemper colorem viridem, vel virideſcentem habet, qui color ab eodemmet humore atrabiliario valde diluto a phlegmatibus, & viſcoſitatibus in ventriculo repertis exoritur; ſicut etiam infantum hoc morbo laborantium, honeſtiori, & non inquinato verbo utar, cibi reliquias eo-

dem

dem colore ab eadem cauſſa redditas conſpicimus; immo etiam quandoque pure atram bilem, mechonii inſtar, diarrhœam patientes evacuant, dum natura in hujus veneni expulſione diarrhœæ ope ſe juvat; ut pluries experiendo animadverti. Cetera autem ſymptomata variolis ſociata ab uno humore atrabiliario produci unuſquiſque per ſe conjectura aſſequi poterit, quum non omnia ſenſuum teſtimonio ſint fulcienda.

§. XL.

Imaginatio, ſeu phantaſia plurima noſtri corporis liquida movet; a terrore totum corpus intrinſece perturbatur, commovetur, & contremiſcit; plurimi aſpectu tantum fœdi varioloſi terrefacti in variolas inciderunt: Nemo quidem ſine aliqua jactura ſanitatis expavit, Seneca dixit.

§. XLI.

In contagio fere ſemper corporis humani liquida perturbantnr, atque immutantur. Quando autem in ſuis capſulis non amplius liquor atrabiliarius invenitur, vel ob variolas, aut morbillos antea paſſos, vel ob aliam qnamcumqne rationem, tunc neque terror, neque contagium, neque epidemia hominem lædet, cum jam interior, & immediata variolarum, morbillorumque cauſſa ablata ſit.

§. XLII.

Ubi major quantitas liquoris atrabiliarii ſanguini refunditur, ac commiſcetur, variolis ſemel affici oportebit; Ubi pauca quantitas, potius morbilli erumpent, quam variolæ; vel ſaltem pabulum, & fomitem pro alia variolarum eruptione aſſervabit.

§. XLIII.

Ubi pars, vel partes liquoris atrabiliarii in ſuis capſulis remanebit, variolæ redibunt, quotieſcumque

que pars, vel partes reſidui liquoris iterum ſanguini refundantur, & commiſceantur; quod Medicorum hiſtoriæ docent; atque ipſe in mea praxi pluries expertus ſum. Fallax igitur aliquando eſt illud, quod Thomas VVillis (y) ſcripſit: „ Con-„ venit homini omni, & ſoli, & ſemel variolis, „ & morbillis affici: Nam licet hoc frequentius, communiterque eveniat, attamen non ſemper ſemel tantum, ſed quandoque bis, vel ter, ut multis gentibus contingere plurimi ſcriptores referunt: Immo legitur apud Petrum Borellum (z): „ Cir-„ ca has (id eſt variolas) notandum occurrit, mu-„ lier quædam Bononienſis Galla, quæ ſepties il-„ las paſſa eſt, & anno 118. tandem eodem mor-„ bo periit. Inſuper illud „ Convenit homini o-„ mni „: multoties minime verum eſſe deprehenditur: Multi profecto ſenio confecti ultimum obeunt diem, qui tamen variolas nunquam ſunt perpeſſi, licet contagium, vel epidemia pluries ipſorum tempore graſſata fuerit.

§. XLIV.

Contagium idem efficit ac imaginatio; alterat quippe varioloſi anatymiaſis, afflatus, effluvium liquida eorum, qui morbum contrahunt, & a ſede ſua atrabiliarium liquorem deturbat, atque in illius detruſione, & motu venæ abſorbent quod in dictis capſulis ad variolas producendas continebatur; inde ob afflatum ipſum laborare neceſſe eſt. Et hoc evenit, vel ſecundum totum atrabiliarium liquorem (ut dictum eſt), vel ſecundum partem.

§. XLV.

Ubi parva abſorptio liquoris atrabiliarii, & bona in liquidis humani corporis ſubſtantiis diſpoſitio adſit,

---

(y) Lib. de febrib. Cap. 16.
(z) Hiſt. & Obſervat. variol. med. phyſ. Cent. 3. Obſerv. 10.

adſit, variolæ erunt benignæ : Ubi ſufficiens, vel major copia abſorpta liquoris atrabiliarii fuerit, ac etiam major plenitudo, ſive cacochymia, vel bilioſa, acriſque cachexia, quæ pravam diſpoſitionem in liquidas humani corporis ſubſtantias important, variolæ cohærentes, confluentes, anomalæ, vel alio charactere malignitatis inſignitæ producentur.

ERUPTIONIS THEORIA.

§. XLVI.

NON æquali ſemper modo affectio iſta ſe habet; variantur porro crebro ſymptomata in quovis ægrotationis tempore; nec ſemper æqualiter, iisdem ſcilicet ſignis, ſymptomatibuſque morbus iſte omnes aggreditur; diſſimiles profecto circumſtantiæ ſæpius concurrunt, & ex ipſarum variatione, tum prognoſis, cum curativa methodus indicatur.

§. XLVII.

Horripillatio in febribus, præcipue longior, motus valde efficax eſt, & ſemper aliquam naturæ machinam in ægrotantium viſceribus latentem denotat, nunc tranſponendo ad partes debiles, vel quavis de cauſſa, aut ratione proclives humores redundantes, vel noxios; nunc ad emunctoria, abſceſſus, & tumores, vel aliud ſimile producendo; nunc etiam ad cutem, ut in eryſipelate, variolis, ſimilibuſque affectionibus manifeſte ſemper obſervatur. Naturam quidem antiqui Philoſophi eſſe principium motus, & quietis ſtatuerunt; illi igitur naturæ effecta cognoſcere facile poterunt, qui motus leges, ac variationes bene callent.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Febris iſta principio multum vehemens conſpicitur, quia liquida omnia, & præprimis ſanguis in motu nimis perturbato reperitur, ob alienorum humorum, & præcipue craſſorum miſcelam, ob quam eadem proportione, qua exuitur media eruptione, & expulſione, etiam febris minor, & minor evadit: Quod & clarius explicabo, videlicet, cum ſanguis naturali ſua conſtitutione liquor craſſus ſit, ut idoneus ad vitam ſervandam, & corporis functiones peragendas effici poſſit, continuo attritu opus habet, ut ab eo partes ipſum componentes dividendo diminui poſſint. In pulmone igitur, in corde, in aorta, & ejus ramis dividitur, ſubdiviſiturque, & in minimas particulas per vires ſolventes pulmonis, cordis, & arteriarum redactus, partes ipſius diviſæ, ac ſubdiviſæ valde laxæ, ob tenuitatem, & ſubtilitatem cohærebunt: Harum porro partium vires ratione multo majori, quam earum denſitates creſcent. Poſita igitur hac naturali ſanguinis conſtitutione, ſi in ipſo adhuc alienus humor per venas importatus fuerit, ex naturæ neceſſitate partes iſtæ ſanguinis tenuiſſimæ, quæ ingentibus viribus pollent, & velocitatis motu, totam ſanguinis maſſam agitabunt, & ab ipſa quod alienum eſt, non dividendo, ac ſubdividendo tantum, verum etiam impulſu, motuque expellere tamdiu conabuntur, quamdiu vel ad emunctoria, vel ad extremas corporis partes, cutem ſcilicet, humorem alienum ſanguini importatum ablegaverint; tunc variolarum maculæ erumpere incipient, quæ pedetentim continuato eodem ſanguinis motu, ac morbificæ materiæ expulſione, puſtulas procreabunt. Poſtremo ubi puſtulæ bene infarctæ, ac elevatæ erunt, febris, ſive motus ſanguinis perturbatus evaneſcet; cauſſa quidem perturbationis ipſius ceſſavit, cum extra maſſam ſanguinis varioloſus,

ſive

ſive alienus humor jaceat . Attamen non ſemper hoc modo, atque ordine ſe res habebit; quum pluries eruptione jam facta, ob copiam, atque malignitatem humorum adhuc in maſſa ſanguinis remanentium, tum febris, cum alia perſeverent ſymptomata, licet puſtulæ elevatæ , ac faſtigiatæ videantur; tunc enim haud moderato, & libero motu fluida per minimos tubulos ferri poſſunt , in quo morbi ratio, & continuatio conſiſtit: Quæ omnia lucem non modicam ex illa Matheſeos parte capere poſſunt , quam Mechanicam rationalem appellare ſolemus , quæque de viribus corporum tum fluidorum , cum ſolidorum agit ; quam partem mihi, & cuilibet licitum eſt in uſum revocare ad variolarum febrem explicandam . Cum igitur utplurimum facta eruptione febris, & alia ſocia ſymptomata evaneſcere ſoleant, hac etiam de cauſſa ad modum criſeos ipſas erumpere diximus; attamen Avicenna (*a*) ſcripſit, quod ſi febris cum omnibus antecedentibus ſignis jam deſcriptis præcedat , poſtea vero variolæ ſubſequantur , tutior res ſit , quam ſi febris variolarum eruptionem ſequatur; crederem dicere voluiſſe perſeverabit, vel ingraveſcet; vel ſaltem de ſecundaria variolarum febre loqui voluiſſe, quæ maturationis tempore evenire ſolet. Illud equidem hucuſque a me ſemper in malignis variolis obſervatum fuit, continuare ſcilicet adhuc febrem , quæ biduo ſaltem , vel triduo ante variolarum eruptionem , non autem poſtea ægrotantem jam invaſerat ; impoſſibile enim hoc evenire poſſe mihi videtur, quum hujuſmodi criſes abſque magno motu, & pulſuum perturbatione in malignarum potiſſimum eruptione natura nequeat efficere, nec unquam effeciſſe comperti ſumus.

§. XLIX.

(*a*) Fen. l. 4. Cap. 6.

§. XLIX.

Vidi etiam variolas benignas, & valde mites, cum pauciſſima quidem, & leniſſima pulſuum perturbatione, ſive febri eruptas, quæ tamen minime ab adſtantibus, atque aliis advenientibus cognita fuit, quamquam revera febris adeſſet; neque vero eruptionem febre omnino deſtitutam uſque adhuc animadvertere unquam mihi licuit, quamvis benignæ fuerint variolæ. Nec etiam unquam credidi variolas ſecunda, vel tertia die eruptas benigniores fuiſſe iis, quæ quarta, vel ſeptima febris die quandoque erumpere ſolent; nec quantum a naturali tempore deflectant, tantum morbus ſuam malignitatem præ ſe fert. Potius mihi videtur tarditatem eruptionem magis ordinatam, abſque confuſione, & tumultu indigitare, minoremque humoris maligni qualitatem, quantitatemque oſtendere; eo magis quia mitiora, & debiliora ſymptomata huic eruptioni copulari ſemper deprehendi, febremque minori impetu ægrotantem adoriri, atque curſu magis regulari periodos ſuas ordinare, ſeu criſim ſuam efficere. Variolas equidem ſeptima febris die eruptas regulares, mites atque benignas ſemper hucuſque obſervavi; ſeptima enim dies vere dies critica eſt, atque minorem morbificæ materiæ quantitatem in maſſa ſanguinea impetum facientem demonſtrat; quod etiam pluries in febribus petechialibus notavimus; porro petechiæ, ſive exanthemata in maligna febri ſi ante ſeptimum apparuerint, hoc eſt ſecunda, vel tertia febris die, non ſolum quantitatem venenoſæ putredinis indigitant, verum etiam ægrum in vitæ diſcrimine conſtitutum eſſe oſtendunt; ubi vero ſeptima febris die apparebunt, ſpem adipiſcendæ valetudinis injicere ſolent; ideoque tardiuſculæ variolæ, ſeptima videlicet die erumpentes benigniores quam quæ tertia, vel ante quartam diem erumpere ſolent, exiſtimandæ ſunt.

At

At ubi pravorum humorum maximus apparatus aderit, & febris initio e naribus hæmorrhagiæ incipient, quæ quandoque enormes esse consueſcunt, vel diarrhœa, vel aliud quid simile, tunc eruptio moram faciet, usque quo hæmorrhagiæ temperentur, vel auferantur, aut diarrhœa sistatur, sive alia similia accidentia tollantur, vel compescantur. In hac pravorum humorum constitutione, quamvis expulsio ad septimam, vel nonam usque diem retardetur, variolæ hoc tempore exortæ adhuc malignæ erunt, non quia ipsarum eruptio retardata sit, sed ob pravorum humorum adnexam copiam, quæ tunc temporis sanguinem, & viscera adeo coinquinat, ut reliquum quoque corpus sordescat. Sic etiam si quando vel acutissimus sentiatur dolor in lumborum regione, qui nephritidem æmulatur; vel in latere, ut in pleuritide accidit; aut in ventriculo quum immani ipsius languore, ac vomitu; aut in artubus rheumatismo æmulus, eruptio non solum retardabitur, sed etiam & variolæ confluent. Ceterum pluries retardatum variolarum exortum a copia sanguinis per nares effluxi, vel diarrhœa observavi, & variolæ ut tardiores, sic rariores, & interstinctæ fuere, minoremque secum malignitatem, & vitæ periculum ob ante actas evacuationes attulere; causſa quippe ipsa producens diminuta per antedictas evacuationes evasit.

§. L.

Cum natura suam crisim glandularum ope moliatur, mirum non est si ventriculi dolore, & vomitu ægri corripiantur; ventriculus enim a variolosa materia irritatus, ac stimulatus dolet, & omnia, quæ in eo continentur, deturbat, ac rejicit, quia (ut diximus) malignus humor a massa sanguinis non cutanearum tantum glandularum ope separatur, verum etiam fere ubique, ubi glandulæ reperiuntur. Quantum ad glandulas ventriculi id

vomi-

vomitus, & dolores tactu excitati demonstrant; de glandulis renum, tum lumborum, cum etiam totius dorsi dolor, quod & clare ab urinis copiosis, ac pellucidis ostenditur; de glandulis faucium, tussis, atque ipsarum inflammatio, quæ sæpe cum ipsa eruptione augetur, quo tempore etiam salivatio prodit, de intestinorum glandulis, superveniens diarrhœa satis signi dat; de trachearteriæ, & pulmonum glandulis, ipsamet ferina tussis, & vocis raucitas, immo tragœdiam ferme inevitabilem sæpius in pulmonibus varioloſa materia ludit. Cum istæ separationes glandularum organis factæ omnibus manifestæ sint, concludendum est etiam alias corporis glandulas minime immunes esse ab hoc mechanico separationis labore; licet ipsarum affectus, effectusque sub sensum minime cadat; immo sapiens Medicus judicare debet omnes corporis glandulas in hoc morbo non solum varioloſæ materiæ separationem, verum etiam aliarum sociarum impuritatum, quæ ob cachexiam, vel cacochymiam in ægrotantis corpore latebant, elaborare. Qualis autem, quantaque separatio per glandulas facta fuerit, dum conspicimus totius capitis, faciei, manuum, pedumque tumorem, immo quandoque etiam scrotum, & præputium inflatos, colligere inde, ac comprehendere licebit. Juvat quammaxime naturæ cognitionem habere, quid ipsa sit, & quid efficere possit; & qualis in solidis, ac liquidis vis, densitas, crassities, proportio, motus, velocitas, motusque quantitas adsit, a quibus omnia, quæ humanæ machinæ damna adveniunt originem suam ducunt; atque hoc est, quod a Cl. Roberto Boyle mechanismus appellatur. Neque in dubium revocamus in humano corpore agentes substantias adesse, quæ activis viribus instructæ origo, atque fons operationum omnium, effectuumque sint, in quibus naturæ essentiam statuimus, atque locamus.

§. LI.

§. LI.

Vbi dorſi, lumborumque dolor perquam moleſte ægrum affliget, & cordis oppreſſio gravis adeo, ac ſenſitiva erit, ut continuò per lectum, jactetur, agiteturque, modo pronus, modo ſupinus, ac in varios habitus ſe componens, nullibi vero requiem, ac levamen inveniat, immo per totum corpus urentem ſentiat calorem, vultus etiam color valde accenſus, ac inflammatus, vix dubitari poteſt, quin ob ejuſmodi ſymptomata variolæ malignæ indolis ſint futuræ. Denotat profecto illa maxima inquietudo magnam materiæ morbificæ quantitatem, atque ipſiuſmet ingentem æſtum, quo turget, præcipue in majoribus ſanguiferis dorſi vaſis, ac etiam circa hypochondriorum, & pectoris regionem.

§. LII.

Qui credunt in dorſo, & pectore laxiores vias eſſe, quam in ceteris corporis partibus, putant exinde variolarum eruptionem primo illas partes invadere; ita Riverius (*b*); ſed ſi ideo laxiores, quia in quovis parvo labore ſudor in dorſo, & in pectore prorumpit, cum minori alioqui labore frons primo, & facies deſudent, debet proinde prius in facie, poſtea in dorſo, & pectore eruptio fieri, quod re quidem vera natura facere conſueſcit. Hac etiam ratione variolæ non ſolum facilius, ſed majores numero, quam in ceteris partibus in facie emanant; nam quantitas excretorum in una parte eſt ad quantitatem excretorum in altera, ut ſumma orificiorum in prima, ad ſummam orificiorum in altera.

§. LIII.

Pueri, & adulti variolis magis obnoxii ſunt, quam

(*b*) De febre peſtilent. Cap. I. p. 549.

quam ſenes, faciliuſque a contagio afficiuntur, tum ob humoris atrabiliarii in propriis capſulis contenti copiam, cum etiam ob cutis teneritatem, & laxitatem ideoque vigente epidemia, diſpoſitionem promptam, paratamque ad contagioſa effluvia recipienda habent; in ſenibus vero licet capſulæ atrabiliariæ adhuc extent, attamen quum utplurimum vacuæ ab anatomicis obſervatæ fuerint, ea ſcilicet ratione, quod progrediente multum ætate exhauſtæ evadunt, variolis materiam ſuppeditare minime poſſunt. Senium profecto cum aſſiduo noſtri corporis ſubſtantiæ fluore advenit; ac ætatis progreſſus procul dubio corporis conſtitutionem non uno modo variat; & tum liquida invertit, cum ſolida immutat. Neque ſenum cutis tam laxa eſſe poteſt, cum fibræ omnes jam depreſſæ, atque duriores conſpiciantur, & rugoſa cutis aſperior, ſolidior, duriorque evadit; contagii ergo, vel epidemiæ tempore diſpoſitionem minime promptam, paratamque hac ratione habent.

Debent nimirum non omnibus omnia prorſum
Eſſe pari filo. LUCRETIUS.

At ubi adhuc liquoris atrabiliarii portio in ſenibus aſſervabitur, quamquam cutis, & ipſius fibræ haud recte diſpoſitæ ſint, tamen in contagio, vel epidemia, vel ſporadice, quandoque & eos variolis fuiſſe correptos obſervatum fuit; & egomet aliquos in tali ætate conſtitutos curavi.

§. LIV.

Qui pueri pinguiores ſunt, facilius hoc morbo corripiuntur, quam graciles, & macilenti; variolæ vero mitiores, benigniores que erunt in pinguioribus, quam in extenuatis, & bilioſis, qui plerumque eas feroces, & peſſimæ indolis ſolent experi-

ri,

ri, ob ipsorum acrimoniam, vel ob aliam pravam dispositionem.

§. LV.

Possunt pueri, vel juvenes, vel adulti immunes esse a variolis (ut diximus in §. XLI.) cum liquor ille atrabiliarius, vel paulatim sine sensu consumptus fuerit, vel alia via extra corpus demandatus; exempli gratia, ob magnam sanguinis effusionem; sive continuatas enormes hæmorrhagias, vel ob alium pravum morbum antea toleratum; vel quia puer per longum temporis spatium inædia, & fame fatigatus, totumque corpus extenuatum, atque emaciatum habet, quo in casu liquores omnes corporis multum diminuuntur, atque invertuntur, vel quacumque alia ratione pueri corpus affectum sit; aut quia adhuc atrabiliarius ille liquor ad senium, & mortem usque lateat in capsulis, & asservetur; neque a contagio, epidemia, aut ab ullo alio interno motu excitatus, agitatusque sit, ex quo in sanguinem transire possit: Demum a viarum impedimento, aut ab alia quacumque causa circumstante, quam cogitatione tantum assequi possumus; quum quæ intrinseeus lateant oculorum obtutum effugiunt. In adultis vero ob alias ægritudines, quas (ut dixi) antea passi sunt, quæ vel salivatione, vel aliis mercurialibus medicamentis curatæ fuere. Hoc enim pacto liquor atrabiliarius vel destructus, vel ita permutatus est, ut amplius ad variolas producendas minime sufficiat „ Oportet enim causas uniusc„ cujusque morbi ea putare, quæ cum adsint, il„ lud fieri necesse est quod efficere solent; cum „ non adsint, vel permutentur in aliud tempera„ mentum, illud cessat, & aliud fit, ut Portius „ in paraphr. lib. Hippocr. de prisc. medicin. p. m. 87. Præterea hoc evenire potest, quod in matris utero fœtus variolas perpessus sit; cujus rei plura

extant exempla a Foreſto (*c*), Bartholino (*d*), Mollenbrocio (*e*), Schenkio (*f*), Fabritio Hildano (*g*), Rhodio (*h*), Nicolao Florentino (*i*), Augenio (*k*), aliiſque ſcriptoribus allata. Fœtus ſiquidem etiam in matris utero ea omnia præ ſe fert, quæ ad variolas producendas apta nata ſunt: Cauſsam porro, quæ variolas producit in infantibus, ſic & in fœtu in utero jacente eas producere poſse quid repugnet non video; eo magis ſi mater, dum utero gerebat variolis affecta erat, ut pluries eveniſse non ignoramus.

§. LVI.

Poſsunt etiam pueri, juvenes, & adulti variolas plus, vel minus malignas habere, ſicut & plus, vel minus mites (ut ſuperius in §. XLVIII. LI. LIV. & alibi enarravimus), nempe ſi atrabiliario liquori ſanguini jam permixto plus, vel minus cachectici humoris addatur, ex quo liquor ipſe atrabiliarius acrior, & malignior evadat. Hoc ab ægrotantis conſtitutione arguitur; qui enim acribus ſcatent humoribus ut plurimum macilenti, pallidi, ac cachectici in vultu apparent: Nam conſtans eſt, & rata Hippocratis ſententia „ Quaꝛ„ lis color apparet in cute, talis humor abundat „ in corpore: Qui vero vultu florido, & pinguiori fruuntur, ut plurimum benignis, puriſque humoribus imbuti cenſentur, qui etſi inter ſe mixti una cum ſanguine fluant, refluantque, atque diverſam ab ipſo tum denſitatem, cum etiam velocitatem habeant, & quæ incognita ſunt, rite determi-

---

(*c*) Foreſt. lib. 5. Obſervat. 44. (*d*) Cent. 4. Hiſt. 50.
(*e*) In Ephemerid. German. Ann. 1670. Obſerv. 53.
(*f*) Lib. 6. obſervat. titul. de Variol. & Morbill.
(*g*) Cent. IV. Obſerv. 55. (*h*) Obſervat. 83.
(*i*) Tract. 2. Summa 4. Diſtinct. 6. Cap. 13.
(*k*) Lib. 9. de febrib. Cap. 7.

terminari minime posſunt, cum neque ſanguinis, neque purorum fluidorum denſitates ſint datæ, attamen ex hac optima humorum conſtitutione benignas fore variolas præſagire facile poterimus; quia fluidorum vires, licet craſſiuſcula appareant in hiſce ægrotantibus, ſunt tamen ad ſeparationem efficiendam proportionatæ (ut Geometræ loquuntur) in ratione compoſita ex ſimpla denſitatum, & duplicata velocitatum, ut ſcite, ac perbelle Jacobus Hermannus, & Joannes Bernoullius docendo demonſtrarunt; ſcilicet Quadrata velocitatum liquorum denſitatibus ipſorum reciproce reſpondent; & tunc velocitates ſunt in ratione reciproca ſubduplicata denſitatum, id eſt Radicibus denſitatum Quadratis reciproce proportionales, dummodo canaliculorum ſecernentium orificia ſint æqualia, vel eorum ſectiones æquales; quod algebraico calculo facillime demonſtrari poteſt. Quapropter liquida cum tali proportionis lege moveantur, ac ſecernantur, haud dubie variolas, ut nuper diximus, boni ominis fore neceſſe eſt.

§. LVII.

In aere quum vivimus, atque aere circumfuſi ſumus; tum per corporis poros, cum per inſpirationem, omnium, quæ in aere continentur, participes nos fieri debemus. Poſita igitur mutatione, ſive alteratione quavis in aere, ex neceſſitate humores noſtri alterantur, & ob hanc viciſſitudinem a naturali ſtatu perverſuntur, permutantur, diſcedunt; idque eo magis ubi prævia adſit diſpoſitio aeris mutationes, vel injurias ſuſtinendi, quæ diſpoſitio ſane fere ſemper a mutata corporis conſtitutione provenit; & tunc magis ab aere, quam a cibo, & potu humanum corpus alterationes tolerare debet; auctore Hippocrate, libro de flatibus.

§. LVIII.

Conſideranda etiam venit anni conſtitutio, vel, ſi adſit, epidemia: Indubie quidem magis in hac, quam in alia anni tempeſtate inæqualitates, ac intemperantiæ aeris obſervantur, a quibus humana corpora variis, multiſque modis affici, ac mutari conſpicimus. Accidit præterea nebularum, pluviarumque frequens copia, quæ nullo ſervato ordine, inverſiſque temporibus promiſcue decidunt, reciduntque. Ventorum præcipue ratio, atque ordo, nec non genera ſunt probe obſervanda. Auſtrinus ſiquidem aer SUD dictus: aut SUDOST Notapeliotes; vel Africus SUD-VVEST, ſeu Notolybicus cum impetu efflant, ut ſingulis annis, & præcipue tempore Veris, vel Autumni, præcedente Hyeme temperata potius, vel pluvioſa, quam rigida in Auſtria occurrit (ad cujus ſalubritatem nihilominus neceſſarii videntur Favonius, VVEST ſcilicet; Borro-lybicus, ſeu NORD-VVEST; Borrapheliotes, ſeu NORDOST, & hujuſmodi, qui etiam aliis Germaniæ regionibus, præſertim Borealibus, ad hoc ut aer a ſordibus, & impuritatibus conceptis repurgetur, valde favent) cum magno animantium corporum detrimento. Quare non multum a vero aberraſſe videntur tum antiqui Philoſophi, cum etiam Medici, dum ultimum nempe corruptionis gradum in calido, & humido reponendum, eſſe ſcripſerunt. Ubi itaque talis anni, tempeſtatumque conſtitutio contigerit, quid boni; aut ſalutaris humanæ machinæ evenire poſſit non video, verum potius non pauca damna eventura ob inordinatas, frequenteſque humorum noſtrorum rarefactiones, condenſationeſque, a quibus adeo corporis liquida affecta, inverſa, ac immutata evadant, & liberum fluxum, refluxumque (ut natura exigit) haud ſuſcipere valent; unde ſeparationes, ac tempeſtivæ depoſitiones,

vel

vel corporum perſpirationes præpeditæ, putredinem, & corruptionem facile in humoribus inducere poſſunt. Liceat mihi hæc verba (ut & alia non pauca) putredinis, & corruptionis ab antiquis mutuari; efficit quidem vocabulorum inopia, ut iiſdem quoque appellationibus ad liquida valde a naturali ſtatu immutata, & inverſa deſignanda utar. Igitur variolæ, quæ in hac anni tempeſtate erumpunt, ut plurimum cohærentes, confluentes, & anomalæ eſſe ſolent, ob præcedentem pravam fluidorum diſpoſitionem. Morbi ſane plurimi in liquoribus conſiſtunt, id eſt in eorumdem mutata qualitate, & exinde proportionali velocitate motus, quo facile ſecretiones invertuntur, quæ a geometrico calculo ſupputari minime poſſunt. Qualis autem ſit cujuſque anni conſtitutio clarius experientia denotabit; & conſulere etiam poſſumus Sydenhamium de variolis anomalis annorum 1670, 71. 72., ac etiam 74. 76.

§. LIX.

Licet vero quandoque anni tempeſtas optima videatur, quum mitem cœli temperiem, atque aerem tranquillum experimur, nihilominus fieri etiam poteſt, ut maligna variolarum epidemia hoc eodem tempore emergat, ob aliquas ſubtiliſſimas pravas, malignaſque ſubſtantias, quas mente tantum concipere poſſumus, aeri permixtas, quæ quamvis ipſum aerem minime perturbent, aptæ tamen ſunt ad humani corporis fluida commovenda, corrumpenda, & ad putredinem diſponenda; ideoque variolæ malignæ, vel anomalæ, ſive, ut vocant, irregulares neceſſario graſſari debent. His etiam quorumdam pravorum exanthematum, ut erant illæ maculæ rubræ a Sydenhamio deſcriptæ, aliæ eruptiones ſæpenumero ſociantur, a quibus aperte character præſentis epidemiæ deſignatur, quæ ſine ullo variolan-

tium discrimine sanitatem diripiens pessime ipsos jugulabit. Tantas enim tunc temporis viscerum, assidentiumque partium impuritates deprehendimus, & universum corpus humoribus vitiosis adeo suffusum, ut nulla virium consistentia; nulla constitutionis præstantia, qua antea fruebatur, a putrida, corruptaque qua obruitur, materia minime potens (cæcutiente Medico) se extricare, in præceps ruat, tandemque ad interitum pertrahatur.

§. LX.

Variolæ ad instar crisεos sic prorumpunt: Primo liquor atrabiliarius cum sanguine mixtus, ipsum inquinando, placidum, ordinatumque motum obvertit, cor irritat, febremque producit; postea vero quodammodo subjugatus, ac permutatus sanguinis gyro, & mediis illis agentibus in massa sanguinis existentibus, quæ activis viribus pollent, ad cutem demandatur ope expulsionis, quam natura per cutaneas glandulas molitur, ut sapienter Sydenhamius scripsit; licet ipse non atrabiliario liquori variolarum caussam adscripserit, sed aliam potius, inflammationem scilicet suppossuerit.

§. LXI.

Ubi major, vel minor irritamenti quantitas, seu vis in corde aderit, major, vel minor sanguinis perturbatio, major, vel minor febris; & sicuti in majori perturbatione adhuc dari potest major, & major, quæ incrementa, haud partes, sed potius modi sive mensuræ febris dicere possumus; ita in minori perturbatione dari potest minor, vel minor, ut in benignis variolis evenire solet, quæ sponte absque Medici auxilio erumpunt, augentur, maturantur, & exsiccantur.

§. LXII.

§. LXII.

Varioloſi quandoque emerſionis tempore in cohærentibus, confluentibus, & anomalis, dum omnia prava ſymptomata fervent, hæmorrhagia narium, vel alvi profluvio afficiuntur: Hujuſmodi evacuationes non ſemper mali ominis ſunt, dummodo modum ſervent, & eruptio bene procedat, neque aliæ circumſtent cauſſæ, a quibus æger lædatur; attamen ſi modum exceſſerint, variolarum eruptio vel retardabitur, vel evaneſcet; quia per id temporis ipſarum expulſio a copioſa diarrhœa, vel narium hæmorrhagia deturbatur, & invertitur; quo in caſu ſuſpicio, atque timor ſemper erit de infelici exitu, ſi febris perſeveraverit. Attamen ſi æger propriis, aptiſque remediis fuerit adjutus, febris vero vel miteſcat, vel ceſſet, neque aliæ pravæ vel ſuſpectæ circumſtantiæ adſint, convaleſcet, ſanuſque fiet; redibunt non multo poſtea longiori, vel breviori temporis ſpatio, juxta intrinſecam humorum diſpoſitionem.

§. LXIII.

Si tempore eruptionis variolarum, vel poſt peractam eruptionem, vel adhuc tardius æger in aliqua exteriore corporis parte, ſive membro aliquo dolorem ſenſerit, & pars dolore affecta virideſcentem, vel obſcurum, vel ſubnigrum colorem præferat, peſſimum, & ineluctabile ſignum, imminentemque e vita diſceſſum indicat; quia pars illa dolens cito in inſanabilem gangrænam tranſit: Tunc ægroti vires valde imbecillas fieri videbimus (ſicut obſervatum fuit), illumque brevi horarum ſpatio vitale lumen relinquere.

§. LXIV.

Si variolarum puſtulæ mole valde exiguæ ſint,

& tactu verrucosæ, & duræ, etiam anomalæ dicuntur, quæ lethales esse solent; porro nunquam matureſcunt; natura suum munus in hoc casu minime adimplet, vel ob viarum defectum, vel ob liquidorum mutatam rationem. Ita ex propriis observationibus scripserunt Marcellus Donatus (*l*), Joannes Gaddesten Rosa Anglica (*m*), Rhazes (*n*) & alii. Si vero variolæ istæ non tantum duriusculæ sint, verum etiam colore violaceo, vel viridi, vel rubeo, sive purpureo, vel nigro insignitæ, pessimæ sunt, ac supremum ægrotantis diem denotant, ut Sydenhamius in anomalis anni 1674, & 1675. scripsit de confluentibus nigro colore præditis, & quæ ad maturitatem provenientes ægrum interficiebant.

§. LXV.

Circumstantiæ variæ esse possunt. Prima, anni, seu temporis constitutio mala, ubi variolæ cohærentes, confluentes, vel anomalæ in conspectum prodire solent, ut in §. LVII., & LVIII. diximus, & exactis observationibus Sydenhamius in constitutionibus annorum 1674, & 75 scripsit. Secunda circumstantia desumitur a symptomatibus variolis sociatis, ut sunt exanthematum variæ species, vel puncticularis morbus, maculæ rubræ, menstruationes immodicæ, diarrhœa, dysenteria, mictus cruentus, sanguinis vomitus, enormes sanguinis e naribus hæmorrhagiæ, partus, abortus, convulsiones, & sexcenta alia, quæ aliquando variolas comitantur. Tertia circumstantia est opportunitas eruptionis, habita ratione temporis, sive Hyemalis, sive Veris, Æstivi, vel Autumnalis.

§. LXVI.

(*l*) De variol. p. 111. (*m*) 2. 4.
(*n*) Contin. 30. De pest. Cap. 15.

§. LXVI.

Diſpoſitiones quoque corporis cenſentur malæ, vel bonæ. Malæ dicuntur, ubi liquida a naturali ſtatu immutantur, naturalemque fluxum, refluxumque, ut par eſt minime ſervare poſſunt; vel minus, lento, & inerti, aut citato motu præter naturæ legem fluunt, refluuntque tum per vaſa corporis interiora, quæ in viſceribus ſita ſunt, cum per exteriora, cutis videlicet; vel alia quacumque de cauſſa, ut §. LVI, & alibi recenſuimus. Quando vero naturali ordine, hoc eſt ſecundum naturæ leges abſque ulla ſocia impuritate fluunt, diſpoſitio cenſetur bona; & tunc variolæ diſtinctæ erunt, atque perfecte elevatæ, ſeu faſtigiatæ; ipſarumque eruptio, & expulſio placide, ſedateque quarto die occurret; puſtulæ etiam deinceps perfectam maturationem acquirent; materia puſtularum alba, vel parum ſubflava evadet; reſpiratio, & pulſus tranquilli, naturaleſque erunt, corporis ſenſus liberi; nullum in diæta faſtidium, ac averſatio: placidus ſomnus; alvus denique naturaliter fere ſingulis diebus deſcendet. Et licet puſtulæ non in minori, ſed in aucto numero, & adveniente maturatione parva, & moderata pulſuum alteratione febricitaverit, hoc tamen tempore in viribus æger nullam jacturam, vel damnum patietur; nec cordis oppreſſionem, neque immoderatum caloris ſenſum percipiet. Omnia iſta ſigna denotant fluida ante hanc affectionem non multum turbata, & impura fuiſſe; adeoque naturales circuitus leges, naturaleſque ſeparationes ſervaſſe: His de cauſſis haſce variolas extare diſcretas, ac benignas Medicus quiſcumque ſibi perſuadebit.

§. LXVII.

Diſpoſitio cenſetur mala ratione viarum, & præ-

cipue

cipue illarum, quæ in cute reperiuntur, quando ſcilicet viæ nimus laxæ ſunt, vel anguſtiores, vel obſtructæ, quam quod natura ordinatam atque idoneam expulſionem per eas facere queat; atque adeo inertia, lentitudine, & inæqualitate procedit, ut maculæ eruptæ non ſatis prompte eleventur; quare prudens Medicus quantitatem auxilii invenire fataget; ubi autem viæ naturaliter ſe habeant, diſpoſitio cenſetur bona, quia natura met in variolarum eruptione ad corporis peripheriam ordinatis, ſtatiſque diebus, ut opus eſt, morbificam materiam deponit.

§. LXVIII.

Diſpoſitio cenſetur mala, quando liquida apta non ſunt ad ſuum munus peragendum, hoc eſt quando ab ipſis detractum eſt, quod detrahi non oportebat antequam ad cutem pergant; vel additum, quod addi non oportebat; & iſtud adverſa componendi ratio nuncupari ſolet, ac damnum, & detrimentum affert: Si vero additiones, & detractiones neceſſariæ factæ fuerint antequam ad cutem pergant, diſpoſitio cenſetur bona; apta quidem tunc liquida evadent ad benignas, ſive diſcretas variolas producendas.

§. LXIX.

Si vero variolarum puſtulæ in ſecunda febris die erumpere incipient (quod raro accidit), ex hac intempeſtiva, & propterea eruptione arguere licebit hoc potius a majori humorum motu, & quantitate, nec non a celerrima ſecretoriorum vaſorum oſcillatione, quam ab alia cauſſa pendere, atque adeo variolæ confluent, & exitum dubium, atque incertum, ut in §. LI. habebunt.

§. LXX.

Si tertia febris die eruptio inceperit, & copioſa ap-

apparuerit, tum ob eruptionis tempus, cum etiam ob ipsius copiam suspecta erit, confluentesque ferme producet, licet temperatior aliquando motus in massa sanguinis inesse videatur, à quo bonum omnem portendere, & præsumere solemus. Quando vero hoc in diebus criticis evenit, hoc est quarta, vel septima febris die quum variolæ istæ recte ad regulam procedant, tunc valde moderatum liquidorum motum, & præcipue sanguinis esse oportet, ut in §. LVI; in hac quippe die, quæ vere critica est, naturæ ordo servatur, & variolarum materia magis ad crisim absque vi, tumultu, & motus inæqualitate peragendam censetur, ob servatam fluidorum separandorum proportionem cum sanguine, & vasis excretoriis.

§. LXXI.

Quoties vero variolarum eruptioni convulsiones præcedunt, toties subinde variolas prompte, & feliciter erupisse, atque nihil attulisse periculi repetitis experimentis ipse quidem observavi: Non semper enim humoris variolosi malignitas in cerebro, & nervoso genere incumbens funestam prognosim exhibebit; superveniente enim eruptione cerebrum, & nervosum genus ab hujusmodi materiæ labefactatione liberabitur. Quod si eruptionem subsequantur de felici eventu non immerito dubitandum: Convulsiones quippe subsequentes, vel variolarum materiam in nervosas partes irrupisse demonstrant, vel saltem non satis ad cutem expulsam, ideoque vitæ periculum imminere probabiliter ostendunt, nisi a paulo validioribus expulsivis, atque aliis propriis, idoneisque remediis æger juvetur; nam pluries in hoc casu pulsus debilitas, atque pustularum elevatio solito lentior, ac languidior, vel magis retardata observatur, quæ symptomata naturæ oppressæ indicia sunt; ac proinde non solum cerebrum, ac nervosum genus

con-

contaminatum, verum etiam totum corpus a materia varioloſa infarctum eſſe denotant: Et hac de cauſſa quæ ſubſequuntur convulſiones timorem incutiunt; licet raro, attamen ſemel, atque iterum in praxi obſervatæ.

§. LXXII.

Si liquoris atrabiliarii pars, vel partes ſanguini commiſcentur, febriles alterationes, ſanguiniſque perturbationes, neceſſitate cauſſæ majores, vel minores palam ſe prodent, ut etiam in §. XLVIII. adnotavimus: Sicque major, vel minor pulſuum perturbatio, majorem, vel minorem mixtionem, ſeu confuſionem ceterarum corporis impuritatum oſtendit.

§. LXXIII.

Sunt qui credunt infantes benignas acquirere poſſe variolas, ſi ab alio benignis laborante variolis, vel per ipſarum inſertionem contagionem trahant. Hanc opinionem plurimi audacter aſſeverant; ſed animadvertere deberent, quod ex poſitione cauſſæ effectus neceſſario ſequi debet: Cauſſa autem variolarum efficiens (quam etiam ſcholarum more materialem dicere poſſumus) ab humore atrabiliario, ut ſatis, ſuperque jam demonſtravimus, immediate dependet, qui vel a contagio, vel a motu corporis, vel ab imaginatione, terrore, vel ab alia quacumque cauſſa (intellige etiam inſertionem) motus, ac ſanguini communicatus variolas gignit, & juxta ipſius indolem, quantitatem, & circumſtantias ſocias, plus, vel minus benignas, aut malignas producit: Inſertio vero, vel contagium, quod inficiendus ab infecto recipit, eſt tantum externa, vel occaſionalis cauſſa excitans. Quomodo igitur bonum, fauſtumque eventum, variolas ſcilicet omnino benignas ab inſertione fore producendas confidere licebit, dum cauſſa efficiens

ciens in inficiendo multis, variisque pravis circumstantiis sociata potens est nos in tali spe constitutos eludere? Consimilia sapienter, prudenterque admonet Clarissimus, & Illustrissimus Dominus Comes Franciscus Roncalli Parolino in suo egregio opere Europæ medicina, fol. 188. & etiam in fol. 439. Si vero dicant hoc pluries eveniſſe, minime refragabor, dummodo inficiendus bona sit constitutione præditus: At si mala; licet contagium a benignis variolis proveniat, inficiendus nullatenus, ex necessitate causiæ, benignas, sed malignas habebit; quod demonstrare volui.

§. LXXIV.

Sæpe in mulieribus menstruæ adveniunt purgationes, præcipue in primis variolarum febris diebus, quando sanguis nimis perturbatus effervescit; menstruatio tunc aliquot dies durare solet, ad maturationem scilicet pustularum usque; quæ nihil elevationi, neque pustularum maturationi officit, dummodo variolæ bene curentur; & menstruatio secundum leges peragatur, neque in uteri hæmorrhagiam evadat; quo in casu variolarum pustulæ non solum tunc nullam acquirerent elevationem, verum etiam (quod pejus est) elevationis loco vel evanescerent, vel aliquam pravam affectionem sumerent. Etenim variolosa materia ad pustulas transmissa elevationis tempore adhuc subtilis est, fluida, atque serosa, ideoque facile evanescere poterit, cum crassescere non inceperit, quia natura duabus contrariis separationibus simul, & semel vel non incumbit, vel raro, ac prave.

§. LXXV.

Ceterum si mulier prægnans fuerit, & a variolarum febre corripiatur, facile abortum patietur, ut pluries experientia docuit; vel pariet, si prægnationis dies adimpleti fuerint; sed alterutrum

in-

innoxium erit, dummodo abortus, ſive partus naturalem non prætereant ordinem; & uteri hæmorrhagia, quæ fere ſemper comitari ſolet, & lochiorum fluxus placide, ordinate, ac naturaliter procedant abſque defectu, vel exceſſu. Rebus ita ſe habentibus, neque eruptio, neque puſtularum elevatio, neque ipſarum maturatio inverti, vel impediri poterit, ſi Medicus adhibeatur induſtrius. Vidi plures in tali rerum ſtatu conſtitutas, & feliciter res expedita fuit. Attamen variolarum puſtulæ non ea, qua decet magnitudine nec faſtigiatæ creſcere ſolent, ſed paulo minus; licet in numero aliquando plurimæ ſint; neque ipſarum exſiccatio tam ordinata erit; hoc eſt, non incipiet poſt nonam eruptionis diem, ſicut in aliis accidit; paulo enim citius exſiccantur, & in cruſtam abeunt.

ELEVATIONIS THEORIA.

§. LXXVI.

NUnc ad ſecundum tempus, ſive ſtadium, variolarum ſcilicet elevationem deſcendendo, eorum omnium, quæ in ipſa eveniunt, & in praxi obſervari merentur, nihil omittam. Primo igitur, variolæ omnes ſint benignæ, ſint malignæ, circumferentiam rubram habere debent; natura enim poſt primum eruptionis diem continuo ab interioribus, ad exteriores partes, ad cutem ſcilicet varioloſam materiam trajicit, atque transmittit; hac de cauſſa variolæ elevantur, & ruborem acquirunt, oſtenduntque marginem; varioloſa enim materia inflammatoria eſt. Quando puſtulæ erumpunt totæ rubræ ſunt; attamen in elevationis, & maturationis tempore in medio albeſcunt, vel parum

rum flaveſcunt, rubra permanente circumferentia, ſive margine.

§. LXXVII.

Quando major, vel minor copia liquidorum eruptionis tempore a glandulis cutaneis ſeparabitur ad puſtulas efformandas, tunc major, vel minor puſtularum magnitudo, major, vel minor variolarum numerus, ut in confluentibus, in quibus ſemper obſervantur puſtulæ manuum, & pedum auctæ, & majores quam in aliis corporis partibus.

§. LXXVIII.

Si liquidorum ad variolas producendas craſis ſeroſior, vel craſſior fuerit, vel (pro ægrotantium conſtitutione) aliqui diverſi humores abundaverint, ut in cachexia, vel cacochymia, variolarum differens erit aſpectus. In infantili ætate, quæ a nativitate proxima, ex naturæ neceſſitate copioſa humorum abundantia circumfluit, ejuſque ubertate penitus perfuſi videntur infantuli; gaudet quidem illa ætas, & jucunde fruitur humidi commercio; ideoque variolarum puſtulæ in hac ætate majores apparent, quæ plenæ, ac faſtigiatæ eſſe ſolent. Hoc etiam in pueritia, & adoleſcentia evenit; in his lymphatica utplurimum conſtitutio prævalet, ab antiquis pituitoſa nuncupata; quæ conſtitutiones cum naturales ſint, & nullo vitio conſociatæ, variolarum eruptionem neceſſario benignam reddunt; ubi vero impuritates adfuerint, tunc in aliquam malignarum ſpeciem deflectent. In juventute etenim, & virilitate bilis ſæpenumero circumfluere ſolet, quæ, ætate progrediente raro comparet; magis enim ignavis, viſcidis, mucoſis, melancholiciſque humoribus ſæpius ſenes refertos eſſe conſpicimus, qua ætate etiam acrimonia ſcatent, ut, præter alia, ſenum pruritus oſtendit; perpetuo nempe fluore ſubtiliſſimæ, fluidiſſimæ, ac

bonæ

bonæ indolis ſubſtantiæ evaneſcunt; craſſæ autem, ignavæ, & languidæ ocio, & torpore ſuperſunt: Qua de cauſſa ſi in ipſis variolæ oriantur, naturam, indolemque humorum ſequuntur. Variolæ ergo maligniores, vel benigniores obſervabuntur, juxta corporis humani diſpoſitionem, humorum, qui conſociantur, conſtitutionem, & qualitatem, atque etiam ob aliarum circumſtantiarum defectum, vel exceſſum.

§. LXXIX.

Quandoque ſecretionis motus huic liquido magis, quam illi impertietur; & tunc variolæ non ejusdem erunt formæ; atque ideo puſtulæ nunc flavi, nunc fuſci, vel violacei, aut alterius coloris apparebunt: Nonnunquam materia in puſtulis contenta ſeroſa eſt; aliquando craſſior; & modo puſtulæ ipſæ fere exſuccæ ſunt, & pellicula tantum elevata obductæ, modicam intus ſeroſitatem continent; modo materiam exſiccatam includunt, & ad tactum duram, verrucis perquam ſimilem (ut in §. LXIV. diximus); tunc vero vulgus diverſa nomina excogitat, atque imponit, alias appellando extreme malignas; corroſivas alias, & ad gangrænæ naturam accedentes; alias aqueas, ſive lymphaticas; alias exſuccas, vel duras, aut lapideas; & alias alio nomine, præcipue hic in Germania, ut videre eſt apud hujus regionis ſcriptores de variolarum ſpeciebus ſermonem facientes.

§. LXXX.

In variolis malignis ſi cutis denſior extiterit, quam naturalis ſtatus exigat, vel ſi diſpoſitio, ſeu ægrotantis conſtitutio ſeroſa fuerint, vel medicamenta eruptionis tempore non ſatis expulſiva, aut idonea exhibita ſint, quæ naturæ motui critico adjumentum præbeant, vel ob aliam conſimilem cauſſam, non ſolum poſt inceptam eruptionem puſtulæ minime promptam elevationem obtinebunt, ſed &

quid-

quidquid in ipsis deponetur tenue, subtile, & serosum erit. Ex fluidis enim in tali constitutione, viribus congruentibus, proportionatoque auxilio carentibus, ea solum, quæ ob fluiditatem, & tenuitatem ad motum magis sunt expedita, non autem crassa, pustulas subeunt, atque replent. Et hac de caussa, variolæ lymphaticæ, & serosæ in conspectum venient, quæ necessario ante constitutum tempus exsiccari debebunt, permanente in massa sanguinis, & visceribus crassa materia, expulsionis tempore artis auxilio minime excussa. Hinc damnum maximum ægrotanti, & periculum minitatur, nisi Medicus sua prudentia opportunis adstet auxiliis inferius dicendis; vel natura met (quod raro evenit) ope diarrhœæ, dysenteriæ, abscessus, vel alicujus alterius expulsionis, crassi, maligni, ac putridi humoris quantitatem extra corpus eliminare tentet.

§. LXXXI.

Sydenhamius variolas has cum pure aqueo, sive sero limpido non solum anomalas vocavit, sed etiam dixit in decima quarta die, vel decima septima lethales esse. Vide ipsum auctorem de variolis anni 1670, & 74.

§. LXXXII.

Quando vero variolarum materia expulsionis initio valde crassa, & viscosa erit, ignava scilicet, & lenta, & parum, vel nihil eruptionis tempore ab arte medica exstimulata, tunc pustulæ non satis infarctæ videbuntur, sed depressæ; non habuit porro expellenda materia, ob suam crassitudinem satis virium, impulsus, & velocitatis, sicuti habent liquores, qui a sanguine separari, & abscedere, aliasque ab illo vias subire debent, ut in vasa transfluant secernentia; crassitudo etenim, ex Bernoulli sententia, juxta ipsius consistentiam con-

ſiderari debet pro maximo impedimento in ſeparationis negotio. Hoc etiam quandoque evenit ob viarum, & canalium proportionem mutatam; & ideo ſtatim exſiccatur harum puſtularum humor primo appulſus, quod calori febris ab aliquibus ſcriptoribus tribuitur; & a principio eruptionis, uſque ad finem maturationis puſtulæ ſemper duræ ad tactum deprehenduntur. Hæc variolarum ſpecies valde ſuſpecta eſt, cum pluries poſt eruptionem febris magis adaugeatur, quam diminuatur, ob materiæ non expulſæ quantitatem. Conſiderari debet tunc temporis ſanguis velut liquor mixtus fluidis validioribus, & debilioribus, quorum vires centrifugæ ſunt inæquales, conatum nempe excuſſorium (ut Leibnitii verbis utar) proportionatum, & æquale minime habentes. Porro ſæpius accidit, ut exſiccatis primis puſtulis jam eruptis, in ſeptima die aliæ iterum copioſæ erumpant, dummodo vel natura propriis viribus ſibi opituletur, vel Medicus prudens moderata ægrotanti expellentia, quæ calida (ut dicere ſolemus) eſſe haud oportet, ſuppeditet. Sæpe etiam præter has, alia prava exanthemata copioſe apparebunt, ut petechiæ, vel quid ſimile; ſive abſceſſus aut in partibus internis, aut externis, ubi materiæ acceſſio fiet, & coagmentatio, quod Sydenhamius, atque alii ſcriptores obſervarunt. Semper tamen timendum eſt, ne materia varioloſa, quæ nec a natura, nec etiam quandoque ab arte in principio morbi (ut decebat) ſatis expulſa fuit, ad partem, vel partes aliquas ad vitam neceſſarias deponatur, ut in capite, pulmonibus, vel aliis adjacentibus partibus, & ægrotum e medio tollat. Facta namque hujuſcemodi metaſtaſi, da conſilium? præſta juvamen?

§. LXXXIII.

Adnotandum quoque eſt, quod dum variolæ confluentes erunt, ſalivatio in paulo adultioribus poſt

ſe-

ſecundam, aut tertiam eruptionis diem incipiet; quæ continuabit uſque ad undecimam, vel decimam quartam, ſi res bene procedat; immo aliquando primo facies intumeſcet, deinde tenuis ſaliva apparebit, quæ in dies magis craſſa, & viſcoſa evadet, donec penitus deficiat, ac tumor faciei etiam decreſcet; manus vero, & pedes, qui paulo ante tumidiores viſi ſunt, adhuc magis tumeſcent, citius vero intra perpaucos dies ſponte tumor ipſorum abibit; & hoc quandoque media urinarum copia, quæ interdum craſſitudine, & multo ſedimento abundant. In pueris vero aliter ſe res habebit; natura quidem ſalivationis loco diarrhœam molitur; & licet facies, manus, ac pedes poſt ſecundum, vel tertium eruptionis diem tumeſcere incipient, ſuperveniente tamen diarrhœa exſiccabuntur; ideoque ſalutaris dicitur; quam Medicus proportionata methodo temperare debebit, alias vel effræna, vel ſanguinolenta evadet, a qua plurimi interficiuntur.

§. LXXXIV.

Poſt primam variolarum eruptionem nova, ſive ſecunda eruptio advenit, & hoc in ſeptima die a febris invaſione, vel quarta die ab eruptione; quæ recentes variolæ in tali die critico non ſolum in benignis, ſed etiam in cohærentibus, confluentibus, anomalis emergentes ſimul cum primis maturеſcunt, & exſiccantur.

§. LXXXV.

Prima variolarum eruptione peracta, aliam inſuper, novamque Georgius, qui primus de ipſis ſcripſit, obſervavit, & parvas eſſe dixit, duplicesque vocavit, ut videre eſt apud Rhazem (o). Viderunt etiam Mayerna (p), Gaſpar Koli-

(o) Contin. 30. 419. Col. 3. (p) De variol.

chen (*q*), & Gometius (*r*). Hanc novam variolarum eruptionem ego ſemper vidi, & unuſquiſque practicus obſervavit. In hac vero corporis parte variolas, in illa morbillos extitiſſe meminit Etmullerus (*s*), Pechlinus (*t*), Diemembroek (*u*).

§. LXXXVI.

Quando variolis intermixti ſint morbilli, cum ab una, eademque cauſſa ambo iſti morbi producantur, atque eodem modo curentur, nullum ſuſpicioni locum dare debent, ſicuti pluries uſu, & experientia obſervavi. Si vero alia exanthemata mixta appareant, tunc morbus plus, vel minus malignus habebitur, pro exanthematum diverſitate. Hæc autem exanthemata utplurimum epidemiæ tempore apparere ſolent.

§. LXXXVII.

Eruptione incepta, maculas in ægrotantis facie apparentes conſiderare debes, utrum numeroſæ ſint, nec ne; nam licet poſtea variolæ minime confluant, auctus maçularum numerus ſatis eſt ad ipſarum malignitatem denotandam; quamquam rariores ſint per alias corporis partes. Benignæ enim paucæ, & diſtinctæ in facie, ac etiam per totum corpus apparere ſolent. Videas igitur ex dictis quali, quantaque induſtria, & arte opus ſit ad variolarum materiam ſubigendam, & expellendam, quando per ſe natura in exordio non fecerit ſatis. Qua de re quum in una hujus materiæ expulſione tota fere ſumma curationis conſiſtat, atque felicitas, maxima ideo ſagacitate, judicio, arte, & prudentia, cum multiplici obſervationum uſu conjun-

cta

(*q*) Obſerv. de variol. (*r*) Gomet. 905.
(*s*) Etmull. 248. mihi. (*t*) Pechlin. obſerv.
(*u*) Hiſtor. 19.

cta, Medicum ornatum, inſtructumque eſſe oportebit, ut opportuno tempore quantitatem auxilii præſtandi cognoſcat, modum, menſuramque ſervet, atque quid, & qua ratione ſit efficiendum, conſilium in arena ſumere poſſit. Et in hac clara, diſtinctaque cognitione omnis curationis malignarum variolarum ſpes nititur, pendet, atque conſiſtit.

§. LXXXVIII.

Hæc ſunt fere omnia, quæ tum in eruptionis, tum in elevationis tempore (ut longo uſu, & experientia accepi) occurrere ſolent. Supereſt ut de tertio, & penultimo tempore, ſive ſtadio ſermonem faciamus, in quo puſtulæ matureſcunt, & fluidum, ſive materia in ipſis contenta in veram ſaniem, ſive pus permutatur. Tempus ceteroquin periculoſiſſimum, ac fatale, in quo non pauci hallucinantur Medici, cum maximo, & ultimo ægrotantium damno. Quod ſi nihilominus ſuperetur, remanet adhuc quartum, & ultimum tempus ſive ſtadium, exſiccationis ſcilicet, æque periculoſum, curationem tamen admiſſurum, ſi in curandis ægrotis methodum infra dicendam qu's deinceps adhibuerit, atque ſervaverit. Quandoquidem dubitare non poſſum quin apud cordatos viros, atque Medicos ſcientia, probitate, & judicio præditos, ea, quæ longo uſu, & accurata rerum exercitatione acquiſita, & ægrotantium emolumento comprobata accepi; quæque ſumma fide, ac diligentia ingenue ipſe narrabo pondus aliquod, atque locum ſint habitura. Quamquam vero incertum mihi ſit an cuique Medico, cui plane alia de curandis variolis ſtat ſententia, me ipſum ſim probaturus, illud tamen ſcio alicui ſaltem me eſſe profuturum, ſi multos hac opella admonuero: Etenim fieri non poteſt, quin aliqui poſt multa fruſtra tentata, multaque funera hanc methodum aliquando ſint amplexuri.

MATURATIONIS THEORIA.

§. LXXXIX.

MAturationis igitur tempore periculis, ſalebriſque pleno, id eſt poſt quartam eruptionis diem, nova, ſeu ſecundaria febris ab eadem cauſſa provenit; dum enim pus conficitur dolores, & febres Hippocrates advenire ſcripſit. Omnis quidem affectio nova, ac conſtitutio mutatione quadam, motuque facto induci, gignique ſolet. Ut recto igitur ordine, ac methodo hoc maturationis tempus inveſtigare valeamus, notiſſima aliqua, & indubitata principia ante omnia præmittere debemus; & ab evidentioribus initia deſumere, ex quibus ſua conſectaria Medicus eliciat, quum ex una re cognita facile deduci poſſunt aliæ; quæ ab eadem cognitione profluunt. Iſta igitur ſecundaria febris, quæ putrida, ac inflammatoria ab omnibus cordatis ſcriptoribus cenſetur, longe plurima præ ſe fert conſideranda probe, ac perpendenda: In variolis enim benignis, ubi pauca maligni humoris quantitas reperitur, hoc tempore aut nulla febris adeſt, aut valde mitis, inſenſilis, pravisque disjuncta ſymptomatibus. In cohærentibus autem, vel confluentibus, vel anomalis maturationis tempore febris ſatis magna, ſive aucta ſæpe ſæpius ingravelcit, & fere ſemper pravis ſociata ſymptomatibus; ſignum evidens cum in viſcera, tum etiam in maſſam ſanguinis partem aliquam variolosæ, ac putridæ materiæ irrepſiſſe, inibique conſtanter deliteſcere. En igitur certum (ut Mathematici vocant) Datum, quo Theorema hoc ſolvi facile poterit; nam febris, & ſocia ſymptomata ab hac cauſſa originem ſuam ducunt, atque fovenţur. Hæc ergo febris, quæ ſæpe, teſte experientia,

tia, lethalis eſt a naturæ viribus tunc temporis ab humorum ſarcina gravatæ, & oppreſſæ ſuperari utplurimum haud poteſt. Pondera enim eo modo gravitant, ut quantitas materiæ in ipſis exiſtens; & ſicuti ſemper in vectore, ut curſum ſuum facilem, incolumemque peragere valeat, plus virium requiritur, quam in onere, ſic ubi plus virium erit in onere, neceſſe eſt ut onera ferentem opprimant. Præſentiſſimum ergo ab arte auxilium, congruentesque vires talis naturæ conſtitutio manifeſte expoſcit, ne moram nectendo magis, magiſque humorum quantitas exuperet, putredo augeatur, corpus denique ægrotantis corrumpatur. Exinde vero patet quam diligentes, quam ſolliciti eſſe potiſſimum debeant medentes de ſeptima ab eruptione die, quæ pro undecima a febris initio numeratur, qua ingraveſcens malum ad extremum uſque gradum pervenire conſtat. Atque hic nunquam ſatis mirari poſſum quorumdam ſocordiam neſcio, an imperitiam, levitatemque, qui parum, vel nihil in hiſce diebus ad pravum naturæ ſtatum, morbi magnitudinem, & conſtitutionem inveſtigandam animum convertentes, impavidi ſibi ipſis, ægroto, ceteriſque omnibus blandiuntur, tuta omnia credunt, ac de felici valetudinis eventu optima quæque pollicentur. Ubi vero ægrotum inopinato e vita diſceſſiſſe intelligunt, attoniti obſtupeſcunt, quumque in mortis cauſſam inquirere minime valeant, quo ſe vertant neſcientes, tum demum ad ethnicorum fatum confugiunt, & hoc prætexunt nomine culpam (*x*), ut olim Orpheum feciſſe apud Simplicium legimus, quo ægrotantium mortem, quos ipſe necaverat, obtenderet, tegeretque: Turpia, pro rei veritate, ſunt Medico multa funera. Erunt fortaſſe qui futura diſcrimina Medicos nequaquam poſſe cogitatione perci-

(*x*) Virgil. Æneid.

pere dicent, ac proinde non quid fortuna, casu, atque eventu factum sit, sed quid consulto, atque ex præscripto regulæ fieri consuescat, polliceri. Sed inania prorsus ea omnia esse, & sine ratione jactata, præcipue in casu nostro facile deprehenditur; quidquid enim tulit eventus, id secundum naturæ leges evenire debuit. Inquirendum nunc ergo est a qua causa ista febris producatur? Primæ, quæ in eruptione accedit jam supra §. XV. caussam assignavimus. Secundaria vero, quæ est febris maturationis tempore adveniens, a reliquiis materiæ putridæ, & inflammatoriæ in sanguine, & visceribus latitantis originem suam (juxta omnium cordatorum scriptorum sententiam) deducit. Quo pacto igitur huic insequenti febri occurrere, & qua methodo, ut ego quidem sentio, mederi oporteat, nunc videamus.

§. XC.

Primo equidem persuasum habeo non modicas laudes Arabis esse tribuendas, qui multa sane industria, atque accurata methodo hanc curationis partem feliciori eventu pertractarunt. Constare sane hæc omnia posse cuique autumo, qui ad historiam variolarum perlegendam animum applicuerit, in qua non pauci, ac præstantissimi viri describenda insudarunt; ac præcipue inter eos percelebris Io. Freind nuperus in Anglia scriptor, cui potius Arabis, quam Galenicis, ceterisque adhærere placuit, ab antiquioribus ejus regionis medicinæ scriptoribus sumens exemplum. Ex Arabum igitur lectione, ac studio si nos animum comparatum (ut venerandus ille senex Hippocrates (*y*) scripsit) ad investigationem habuerimus, facile perfectam variolarum curativam methodum assequemur: quantitatem quippe discriminis in quo ægrotus est constitu-

(*y*) In libr. De Prisca medicina.

ſtitutus, ſigna, & ſymptomata quæ ægritudini copulantur clare demonſtrant : Quare antequam juvandi tempus abeat, ſuum obire munus, ordinata methodo, quiſque ſapiens, prudenſque Medicus ſtudeat, ut ægrotantem ab imminente vitæ periculo vindicare poſſit.

§. XCI.

Periculum imminens ſalivatio imminuta, aut ablata indicat ; periculum imminens inquietudines, anxietates, reſpiratio difficilis, & cordis oppreſſio, ſicut & increſcens febris, vel delirium, vel alia prava ſymptomata declarant; periculum imminens puſtularum margines, atque interſtitia palleſcentia, tumor capitis, faciei, manuum, pedumque collabens indigitant : Quamquam vero pluries puſtularum margines, atque interſtitia adhuc rubeſcant, ac etiam capitis, faciei, manuum, pedumque tumor adhuc perſeveret. moriuntur tamen : & hoc infortunium non ab alia imaginaria cauſſa, quæ vulgo allegari ſolet, ſed ab unica humorum turgentium quantitate, putrefactione, ac corruptione adveniſſe credendum eſt, ut experientia ſemper, conſtanterque demonſtravit. Sicut enim in machinis, ex aliena ponderis applicatione, longe alia fit momentorum ratio, quam quæ oporteat ; ita & in hoc caſu, ex aucta putridorum humorum quantitate, in deterius ægrotum ruere neceſſe eſt. Quum igitur iſta ſecundaria febris adſit, ad omnia attente Medicus ſapiens, prudens, & induſtrius invigilare debet, ut omni culpa vacet. Maligni nempe morbi inſidias ſtruunt, & prima facie nihil a benignis differunt. Tu vero ne credas, ſed accurate quantitatem morbi, atque ſymptomata ſocia æqua lance perpende ; nam „ Noſcitur ex ſociis, qui non cognoſcitur ex ſe. „

§. XCII.

§. XCII.

Diximus variolas circumferentiam, ſive marginem rubrum habentes optimas eſſe; denotat namque rubra illa circumferentia morbificæ materiæ mobilitatem, atque continuatam ipſius ad cutem expulſionem: Quando vero circumferentia, ſive margo palleſcere incipit, malum portendit; materia enim, quæ ad puſtulas afferri debuerat, ob craſſitiem, inertiamque minime importatur (tunc variolas retrocedere aniculæ, & indocti clamant, quaſi materia a peripheria ad centrum recedat), eo magis ſi puſtularum elevatio, quando margines jam palleſcunt, parum deprimatur: Sed evolat, ac continue detrahitur aliquid a puſtulis; quibus quum nihil impoſterum addatur, depreſſæ apparent. Falſum ergo eſt variolas retrorſum redigi, non enim id poteſt effici, dum materia craſſeſcens viam haud invenire valet. In principio etenim morbi quando eruptio incipit, materia varioloſa aquea eſt, tenuis, ac ſubtilis, tuncque diametri excretoriorum vaſorum in cute exiſtentium proportionati, atque apti ſunt ad hujuſmodi fluidi expulſionem. At ubi hæc materia in puſtulis detineatur, brevi temporis ſpatio craſſeſcit, majoremque perimetrum acquirit; ideoque per eaſdem met vias retroagi minime poteſt. Ratio igitur depreſſionis puſtularum eſt (ut ſupra explicui), quia tunc non fit varioloſæ materiæ intus jacentis ad cutem appulſus, qui continuari debebat, ut rubor marginum, & puſtularum elevatio adhuc permaneret; & plus virium eſt in onere, quam in vectore (ut dixi). Tunc mors in promptu aderit; niſi aliis ſupervenientibus circumſtantiis natura alia via peropportune ſe exoneret, & variolola materia repurgetur. Simile periculum (quod & ad variolas plane eſt referendum) ille maximus Medi-

corum

corum Hippocrates cognovit ; ſcripſit enim (z) „ Tumores, maculæ pruriginoſæ, ac alia exanthe- „ mata cito diſparentia, pernicioſa: „ Et idem (a) de conſtitutione temporis ſecunda in Taſo „ Pa- „ pulæ parvæ mox recedentes, pueros mox abla- „ ctatos, octennes, vel decennes occidebant ; qui „ vero ſtillicidio urinæ correpti, tum rubra, vel „ purulenta excretione, hi omnes ſanabantur. „ Cauſſa quidem morbi quamdiu parti alicui inhæ- ret, incumbitque eumdem conſervat, & auget ; ſublata vero, vel permutata nihil quicquam eorum efficit, quæ antea efficiebat.

§. XCIII.

Varioloſi quandoque cum tuſſi ſicca, quandoque cum tuſſi ſputatores ſunt, quod ſemper in cohæ- rentibus, confluentibus, vel anomalis variolis ab eruptione, ad maturationem uſque evenit, & fa- cies, quæ etiam primo intumuit ante maturatio- nis tempore, adeo etiam tumeſcit, ut oculi clau- dantur. Caput etiam tumidum aſpicitur ; manus demum ſæpe, & pedes circa octavum, vel nonum ægrotationis diem inflari incipiunt. Hoc in ſtatu copioſa, ac frequens ſalivatio, quæ eruptionis tem- pore incepit, quammaxime ægrotantibus conducet ; indeque ſymptomata febri ſociata diminuentur, ac demum evaneſcent, & variolæ bene cedent. Tuſ- ſis vero ſicca, abſque ſputi expulſione malum por- tendit, quia denotat alterationem aliquam in fau- cibus, ſive exulcerationem in aſperæ arteriæ inte- riori tunica, quæ in gangrænam facile tranſire pot- eſt: Malum quoque nullus in tali variolarum tem- pore tumor in facie apparens.

§. XCIV.

Quum afficiuntur plurimi copioſo ſputo valde craſſo,

(z) Prædictor. lib. 1. (a) Epidemior. lib. 1.

craſſo, vel cruento, livido, flavo, vel alia quabet ratione malo maturationis tempore, tunc febris magna adeſt, & languores, inquietudines, ceteræque ingraveſcunt moleſtiæ; atque in hac conſtitutione ægroti quammaxime periclitentur neceſſe eſt; nam ubi tuſſis, & cum tuſſi cruentum ſputum exploditur, ſignum manifeſtum eſt morbificæ materiæ partem, quæ in mollem pulmonis ſubſtantiam conceſſit, inibi ſtagnando, ipſius inflammationem ſuſcitaſſe, atque illum adeo affeciſſe, ut vires, & reſpiratio pervertantur; uno verbo, variolis in pulmone jacentibus peripneumoniam jam factam eſſe. Ab iſta, ſi juxta methodum inferius dicendam, tuſſis, atque ſputum viſcoſum, craſſum, & cetera opportuno tempore ceſſaverint, liberi evadent; ubi vero poſt undecimam, vel decimam quartam ægritudinis diem perſeverent, facile ægroti vel mortem obibunt, vel morbus in phthiſim evadet, præcipue quando ſputum citrino colore flaveſcit, juxta Hippocratis ſententiam „ Omnino pravum „ flavum. „

§. XCV.

Variolæ autem in pulmonibus jacentes non tantum tuſſim, & ſputum ſanguinolentum in aliquibus ægrotantibus producunt, verum quandoque etiam raucitatem, phthiſim, hydropem, & hujuſmodi morbos, quia ſicut puſtulæ per corporis ſuperficiem furere cernuntur, ita per hæc, vel illa viſcera debacchantur. Quod multis, & repetitis obſervationibus ſcriptores, qui de hoc morbo diſſeruerunt, experti ſunt. Inter hos Fernelius (*b*) in quibuſdam cadaveribus diſſectis lienem, pulmones, jecur, omniaque interiora viſcera referta papulis manantibus invenit, ſicuti exteriorem cutem ſordi-

diſſi-

(*b*) Fernel. *lib.* 2. De morb. peſtilent. Cap. 12.

diſſimis puſtulis ſcatentem: Paræus (*c*) etiam malignitatem hujus morbi in hoc pulmones deſtruxiſſe, in illo hepar, in iſto inteſtina, in alio aſperæ arteriæ tunicam interiorem, atque alia hujuſmodi retulit, & adnotavit. Ipſe quoque mediam pulmonis partem variolis exeſam, deſtructamque hiſce oculis vidi; ſicut etiam inteſtina omnia, & præcipue craſſa, plena variolarum puſtulis manantibus, in quibus jam gangræna aderat.

§. XCVI.

Pueri, licet facies, manus, & pedes in variolis cohærentibus, confluentibus, vel anomalis tumeſcant, quia ſalivationi minime ſubjacent, fere ſemper diarrhœam patiuntur, quoniam quum in glandulis faucium non ſeparetur quod ad ſalivationem excitandam, atque promovendam ſeparari oportuerat, in glandulas inteſtinales copioſius irruit. Hoc pacto natura a quantitate, & qualitate materiæ opprimentis exoneratur, fluidumque, quod tumentiam antea efficiebat, una cum aliis putridis humoribus in viſceribus latentibus evacuat. Si igitur diarrhœam hanc cum naturæ allevamento omnes Medici evenire ſciunt, ut egregii ſcriptores ſuis obſervationibus fatentur, cur a principio ad finem uſque morbi ſemper expulſiva propinant, nunquam vero diminuentia, & clyſteres? Variolæ enim ſi maturationis tempore debito ordine proceſſerunt, febris vero ſecundaria, & ſymptomata a cauſſa intrinſeca producuntur, quare ad auctorum obſervationes, & experimenta mentem non convertunt, etiam hoc tempore diarrhœam nihil damni attuliſſe aſſerentium, ut videre eſt in varioloſorum hiſtoriis Cl. Freind.

§. XCVII.

(*c*) Paræus lib. 19. Cap. 1.

§. XCVII.

Pustulæ in confluentibus ideo depressæ conspiciuntur, quod tantum aliqua pars materiæ morbificæ, ea scilicet, quæ subtilis est, ac facile mobilis, ad peripheriam assurgit; at quæ majori adhuc crassitudine constat, in visceribus, & in massa sanguinis relinquitur, ut ex cadaverum sectionibus §. XCV. relatis demonstratum fuit; quod si & hæc insitis, aptisque viribus, & proportionato impulsu esset instructa, ut ad cutem eruptionis tempore pergeret, & a milliaribus cutaneis glandulis separari, atque per ipsarum excretorios ductus pustulis importari potuisset, sane haud depressam haberent figuram, sed elevatæ, ac fastigiatæ assurgerent. Cum ergo magna materiæ variolosæ quantitas in confluentibus adsit, quæ tamen in visceribus (quoad majorem partem) ob crassitudinem, atque humoris ignaviam remanet, separatio debito modo fieri nequit. Ex crassitie enim fluidorum in massa sanguinis jacentium oritur vis illa resistens, quam corpora subtilissima, sive spiritus in ipso met sanguine moti frangere, dissolvere, ac superare conantur; vis enim resistens crassorum fluidorum adhuc subtilissimis corporibus, & in motu velocissimis remoram afferre potest in ratione subduplicata velocitatum, in ratione simplici velocitatum, vel in ratione duplicata velocitatum mobilium subtilissimorum corporum, aut in qualibet alia ratione. Hoc clare etiam in anomalis conspicitur, ubi pustulæ serosa, ac lymphatica quadam materia repletæ videntur, crassa, compacta, ac tenace in massa sanguinis, & visceribus torpente; ideoque & hæc variolarum species plena est formidine, ac periculo; quia nisi natura vel diarrhœa, vel hæmorrhagia sese exonerando auxilium tulerit, vix de futura ægrotantium valetudine spes aliqua remanebit, in deterius namque ruere, & mortem obire neces-

se

ſe eſt. Periculum enim vitæ non ſolum a quantitate materiæ provenit, ſed ab ipſorum liquidorum motus velocitate a ſtimulo inflammatorio aucta (ut Boerhaavii (*d*) verbis utar) ſanguini admixto, qui ipſam agitando putredinem, & corruptionem ejus in maſſa ſanguinis detrudit; quare a mutata partium ſanguinis figura, & motu, febris, & ſymptomata maligna producuntur, ac foventur; & demum cum ad ultimum corruptionis gradum ſanguinis perductus ſit, ad corruptionem, & gangrænam viſcera quoque pertrahit.

§. XCVIII.

Sed antequam hoc eveniat operæ prætium eſt ſcire materiam hanc putridam, inflammatoriam quoque eſſe, ut diximus, quæ primo turgeſcere aliquando incipit; & hoc modo adeo immanes jactationes, inquietudines, & anxietates producit, ut miſer ægrotus præ oppreſſione, & anguſtia, ac ſumma, quam perſentit, moleſtia, ad refrigerationem, & levamen captandum e lecto ſurgere coactus ſit; atque hoc tempore hæc ipſa materia talem, tantamque ferociam acquirit, ut viſcera, in quibus continetur, in ſphacelum, & gangrænam tranſire cogat. At ubi ob vim materiæ ad tale evectæ faſtigium e lecto ægrotans ſurgat, & paulo poſt moriatur, ſtatim vulgus ab ambiente damnum, atque mortem eveniſſe opinatur. Sed ſi Sydenhamium egregium variolarum ſcriptorem legiſſent, forſan & adnotaſſent, quod in hoc caſu ipſe admonuit, dicendo (*e*) „ Si æger phrenitide „ corripiatur, de vehementi queratur ægritudine, „ urinam paucam, at frequenter reddat, jam non „ aliis

(*d*) Hermann. Boerhaav. in Aphoriſm. de cognoſc. & curand. morb. no. 1386. p. m. 348.

(*e*) Variol. p. m. 95.

„ aliis auxiliis (cum in propinquo mors ſit) æ-
„ gro ſubveniri poſſe autumo , quam vel narcoti-
„ ca affatim exhibendo , vel ſanguinem liberaliter
„ extrahendo , corpuſque auræ exponendo ... ſi ad
„ illos animum advertamus , qui ob copioſas na-
„ rium hæmorrhagias ſubito ingruentes ferreas im-
„ minentis lethi manus ſalvi evaſere . Illud inſu-
„ per eſt perpendendum , quod in extremo hoc
„ agone non idcirco inſtat mors , quod puſtulæ
„ intro retrocedant ; extant enim hæ , eminentque
„ cum inſigni rubore etiam animam agente ægro,
„ ſed quod facies non turgeſcat . „ Quum igitur ad qualitatem , quantitatemque materiæ viſceribus adhærentis , atque ſtagnantis mentem non adhi-beant , quæ ſi nullum faciei tumorem , vel ſali-vationem procreet , inflammationem aliquam in-trinſecam molitur , a qua viſcerum gangræna fa-cile producitur , hoc ideo admittunt abſurdum , & propterea ad veram mortis cauſſam dignoſcendam numquam perveniunt , ut §. XCI.

§. XCIX.

Inſuper ſemper timendum eſt , ne varioloſa iſta materia in ſanguine relicta , in capite , vel pul-monibus , vel aliis viſceribus per metaſtaſim de-ponatur , quæ ſic procedit ; videlicet in partibus ſanguinem componentibus (ut in §. XXXXVIII. diximus) reperiuntur quædam exiliſſimo volumi-ne conflatæ , ſubtiliſſimæ , ac valde elaſticæ par-ticulæ , quæ ſi in majoribus ipſius ſanguinis cana-libus aliud non elaſticum fluidum inveniant , illæ valde elaſticæ , & vim maximam , celerrimum-que motum habentes fluidum non elaſticum , ſive craſſum quoquo verſus per arteriarum ramulos , nimirum prorſum , retrorſum , & in loca , quæ circumquaque ſunt ad latera , vi ſui elateris im-pellunt . Hac de cauſsa accidit , ut vel media ſepara-tione , vel qua data porta extra vaſa ruat , vel ibi

ſiſta-

fiſtatur, ubi partes hæ ſubtiliſſimæ ipſum ulterius impellere non valent, cum jam extra ipſarum actionis centrum abierit. Hoc etiam Sydenhamius in cap. 4. variolarum anomalarum anni 1675 adnotavit (*f*) dicendo „ Qui quidem tumores ab in-„ tolerabili dolore, rheumaticorum per omnia æ-„ mulo tragœdiam ordiebantur; poſtea haud raro „ ſuppurabantur, & in ſinus ingentes, & partium „ muſculoſarum apoſtemata deſinebant, ægro in „ vitæ periculo etiam ad multos dies a diſceſſu „ variolarum adhuc verſante: „ Mirum igitur non eſt ſi a tali humorum depoſitione quandoque ægrotus e medio tollatur; deſtruit namque fluidum hoc craſſum, & elateri expers partes ad vitam neceſſarias: Difficile quippe eſt, antequam damnum grave importet ipſum e locis a gyro ſanguinis remotis tuto, & cito exturbare, atque dejicere.

§. C.

Quo circa conſiderare debemus, quod natura met, ſeu vis activa, dummodo viribus proportionatis, ac ſufficientibus polleat, morbificæ materiæ expulſionem per vias quandoque congruas, atque idoneas molitur, ut ſunt viæ urinæ, vel alvi, ut §. LXXXIII, & alibi dixi; vel quandoque per alias corporis partes, unde interdum gignuntur abſceſſus a Sydenhamio relati ut in §. XCIX. Quandoque vero, vel ob virium impellentium imbecillitatem, vel ob craſſitiem, viſcoſitatem, inertiamque materiæ fluidæ reſiſtentis, ipſam expellere minime valet; porro fluidorum omnium reſiſtendi vires quamproximeſunt (Newtono dicente) ut eorumdem denſitates; quia fluida ita conſtituta, tum majorem baſim, ſeu perimetrum (ut alibi dixi) acquirendo, tum et-

(*f*) P. m. 146.

iam ob denſitatem, motui non facile obtempe-rant; ideoque ſolers, prudenſque Medicus fluidis ita conſtitutis calcaria addere debet, ut momentum impulſus reſiſtentiam craſſæ, & conſiſtentis materiæ ſuperare poſſit; & per loca conferentia expellat.

§. CI.

Inſuper, ſi puſtularum materia non alba, ſed alterius coloris tempore maturationis inveniatur, & febris ante eruptionem incepta minime diminuatur, nec evaneſcat, ægrotantis pernicies in promptu eſt, cum ob materiæ pravam indolem, tum ëtiam ob febris continuationem; quibus ſi accedant quaſi animi deliquia, tremores, vel cordis palpitationes, pro certo properam mortem expectandam eſſe experientia centies docuit, niſi prompto, ac efficaci auxilio juvetur. Quando vero aliquæ interſperſæ variolæ nigræ, vel ſatis lividæ, ſeu obſcuræ, incepta maturatione, apparent, licet optimam dilatationem, elevationemque habeant, etiam exitium varioloſi demonſtrant; materiam quidem valde corroſivam (ut dicere ſolent) continent: Quemadmodum & quando puſtulæ æqualem, ſimilemque materiam non concludunt; videlicet in aliquibus alba, & craſſa, in aliis tenuis, & ferosa aſpicitur, & confluentes, atque depreſſæ ſunt, ſatis de ſe ſuſpicionem dant; & malignas, atque anomalas ipſas appellamus.

§. CII.

A quantitate febris indicium ſumimus de magnitudine morbi; febris enim adaucta minus immunis eſt a ſocietate pravorum ſymptomatum; immo ſæpe non ſymptomatibus tantum, ſed etiam aliis morbis copulatam videmus. Mictus etenim ſanguineus, qui in febre valde aucta in vario-

riolarum exortu aliquando evenire ſolet, ſicut etiam cruentum ſputum (ut §. LXV, XCIV, & XCV. diximus) morbi non parvi momenti ſunt, & ipſi per ſe ſoli, abſque variolis, perniciem afferre poſſunt; quibus difficile plane erit Medico in hoc eventu opem afferre. Si vero alii morbi ſat graves, & pernicioſi à primis febris diebus huic morbo juncti apparebunt, ut pleuritis, peripneumonia, angina, & ſimilia, quantumvis iſti inducias dent, neque ſtatim ægrotantes è medio tollant, utplurimum tamen maturationis tempore ſuam vim, atque ferociam exercendo, ad ultimum vitæ diſcrimen ægrotantem perducunt; ut experientia compertum eſt.

§. CIII.

Puſtulas etiam ſiccas, & verrucoſas quandoque in hoc morbo advenire diximus §. LXIV, LXXIX, & alibi, tum a quantitate haud proportionata materiæ varioloſæ, quæ ad cutem elevationis tempore adſportatur, cum etiam ob ipſius craſſitiem, & viarum, ſive canalium anguſtiam, atque febris calorem auctum, & ideo maxima materiæ varioloſæ pars non ſolum in ſanguine, verum etiam in viſceribus ſubſidendo perniciem varioloſi portendit; de quo in locis citatis.

§. CIV.

Ex dictis colligere licet ſigna mala, quæ variolas comitare ſolent, quandoque ab ipſis met variolis deſumpta eſſe, juxta ipſarum aſpectum, quandoque a ſociis exanthematibus; a febre; ab aliis morbis ipſis adjunctis; & quandoque a pravis ſymptomatibus ipſis copulatis.

EXSICCATIONIS THEORIA.

§. CV.

HÆc quæ usque adhuc scripta sunt ad theoricam cognitionem tertii variolarum temporis spectant, ut Medicus melius, & cautius ad suorum ægrotantium manuductionem in tali tertio tempore invigilet, in quo summum adest vitæ periculum; nihilominus tamen hoc tempore feliciter transacto haud se gloriari oportet de optima curatione facta; nam de quatuor curationis partibus, tres tantum absolutæ sunt. Remanet nunc quarta pars, hoc est quartum, & ultimum curationis stadium, sive tempus, in quo etiam plures ægrotantes suum ultimum diem obeunt. Invigilare ergo debemus, ne tempus hoc damnum vitæ pariat; vel aliorum morborum semina, atque originem præbeat, ut febris hecticæ, scorbuticæ, phthisis, hydropis, & similium subsequentium. Caussæ quidem postquam morbos produxerunt, adeo contextæ inter se cohærent, & assidue se fovent, atque conservant, ut nullatenus morbi possint manentibus caussis deleri. Tunc ergo de felici eventu jure merito gloriari licitum erit, quum omnia, quæ facienda sunt ad ægrotum ab omni subsequentis morbi suspicione liberandum omni ex parte adimpleverimus.

§. CVI.

Variolæ exsiccantur post undecimam ab eruptione diem, quæ a prima die febris numerando pro decima quarta morbi computatur, in qua si ex antè dictis suspicio aderit de materia in visceribus, vel massa sanguinis delitescente, diligenter opus erit observare, utrum natura met hoc opportuno

tem-

tempore vias inveniat ad reliquias putridæ, ac malignæ variolarum materiæ expellendas, cum multoties ipsa ope diarrhœæ (ut pluries dixi) evacuationem etiam in hoc ultimo stadio moliatur. Hac perseverante pluries mihi contigit observasse materiam atrabiliariam rejectam in tribus, vel quatuor alvi dejectionibus colorem picis nigræ, immo etiam ipsius pellucidum nitorem referentem; reliquas vero subsequentes excretiones colore atro viridi tinctas vidi, qui magis, magisque decrescens quotidie, ad naturalem tandem vergebat. Idem quoque refert Freind (*g*) se observasse in quodam viro variolis correpto, cui quum in extremitate morbi constituto medicamentum purgans propinaverit, post tres horas „ alvus ingen„ ti copia bis descendit, dejectionesque hæ cum „ solidæ, & nigræ, tum admodum fœtidæ fue„ runt. „ Si vero natura hanc viam, ut dixi, non invenerit, lenta quædam aliquando, & quæ vix discerni potest febris in pulsibus deprehendetur, quæ quammaxime ægrotantem, & Medicum blanditur, adeo parva, & simplex apparebit; sed latet tunc anguis in herba. Aliquando etiam alba milliaria exanthemata cum dicta febre erumpere solent; quod sane non tantum in decima quarta die, sed etiam in decima septima pluries observavi; & in hoc casu periculum imminens vitæ ægrotanti minatur; etenim momento temporis febris ista suam evomet ferociam. Caute igitur, ac diligenter ad omnia est attendendum; nondum enim vitæ periculo vacant ægroti, nisi post vigesimam primam ab eruptione diem, quæ est vigesima quarta a prima febris invasione.

§. CVII.

Variolæ etiam aliquando citius, hoc est ante

(*g*) lib. de febribus, Comment. VII. Histor. 1. p. m. 61.

opportunum tempus exsiccantur, ut in §. LXXIX, LXXX, LXXXII, & alibi diximus, quod in verrucosis, vel lymphaticis contingere solet. Tempestiva vero exsiccatio clare ostendit naturam tribus anteactis periodis, seu temporibus minime suas ordinatas, ac congruentes expulsiones peregisse, & humorum copiam procul dubio in visceribus relictam fuisse; quæ si non ægrotantis mortem, saltem putridæ materiæ periculosam ad loca alia metastasim, non sine medentis ignominia facile afferre potest.

§. CVIII.

In hac ultima variolarum periodo quandoque urinæ impedimentum advenit, quum natura amplius glandulis renalibus ad reliquias materiæ varioloſæ in massa sanguinis adhuc jacentis expellendas uti ob ejus crassitiem non potest. Atque hæc quidem fere omnia sunt, ni fallor, quæ ad morbi hujus exactam descriptionem, atque theoriam facere videbantur, quæque ab unoquoque Medico quotidie observari solent. Et licet aliqua scripserim, quæ ab aliis jam dicta fuere, hoc parum interest, dummodo quæ scripsi vera sint, & necessaria, quæque a posteris medentibus cum ægrotantium emolumento, & medentis decore amplectentur.

EPILOGUS.

§. CIX.

VAriolarum igitur conditionem, ut omnia in compendium redigamus, satis expromptam omnibus hisce signis, & rationibus judicamus; nempe si eruptio sit tam tempestiva, ut ne quidem ad quartum febris diem perveniat, maligna erit;

erit ; indicat enim vel adeſſe copiam exuberantem humoris , vel impetum , ſeu vim a natura productam ; quæ quo major eſt , eo minus temporis requirit , ut data motus quantitas in materia varioloſa producatur . Si vero in quarta , vel ſeptima febris die accedit , erit benigna , quia criſis valde regularis eſt , juxta Hermanni Boerhaavii dicentis „ Quo lentius erumpunt puſtulæ , „ quoque proin diuturnus ſtatus contagii , eo mor- „ bus levior . „ Si vero eruptio ab aliis retardetur circumſtantiis , juvanda eſt , ne lentius , quam par eſt , incedat .

§. CX.

Variolæ jam elevatæ , & tactu molles , minorem impetum , minoremque inflammationem indicant . Rotundæ , plenæ , & quæ perfecte in faſtigium adſurgunt , omnino benignæ ſunt . Copioſæ , cohærentes , confluentes , vel anomalæ , malignæ ; ut & depreſſæ , vel ſeroſæ ; quia vel inæqualem , vel etiam nullam materiæ expulſionem demonſtrant . Duræ autem , quæ nunquam matureſcunt , vel a prava , & valde craſſa humorum quantitate expulſa , vel a nimio febris inflammatoriæ æſtu producuntur , peſſimæ . Flavæ vero , lividæ , virideſcentes , vel nigræ , non ſemper a peſſima humoris atrabiliarii indole tantum , ſed quandoque a pravorum humorum in maſſa ſanguinis deliteſcentium conjunctione , & miſcela oriuntur : Scripſit quidem divinus Senex „ Poſſe „ in humano corpore generari humores atro vene- „ no ſimiles . „

§. CXI.

Si eruptio æque facta fuerit in peripheria , ac viſceribus , plurima vero ſymptomata cum febre plerumque copulentur , præcipue maturationis tempore , licet capitis , & vultus , manuumque , &

pedum adsit inflatio, saliva quoque hoc tempore copiose fluat, & Medicus, atque ægrotantes in spem valetudinis erigi soleant, si desit opportuna manus, natura succumbet.

VARIOLARUM CURATIO, ET PRIMO FEBRIS, ATQUE ERUPTIONIS.

§. CXII.

UT igitur curativa methodus, eo, ut decet, ordine dirigatur, operæ pretium esse duxi omnia peropportune exponere; ac adnotare, quæ ad exactam, integramque morbi hujus curationem apprime sunt necessaria. Quo vero facilius in tyronum mente, quibus consulere in primis curæ est, imprimi valeant, ut exinde alaciiores, magisque corroborati, & confirmati animo evadant, non ingratum, neque plane supervacaneum censeri debet, me non pauca repetitis quandoque vicibus, nunc una, nunc altera ratione monere, & explanare. Principio igitur curandum est, ut a primo febris insultu ægrotus in lecto moderate calido collocetur; inibique consuetis stragulis tegendus, a quibus minime opprimi debet, sed tantum apprime ab ambiente aere ita defendi, ut nullo pacto corporis perspiratio impediatur; quum omnibus notum sit ab externa corporis refrigeratione majorem in massa sanguinis æstum, ac effervescentiam, sive (ut melius dicam) perturbationem, atque adeo ad separationes impedimentum procreari. Fabri ferrarii exemplo, qui ut majori activitate ignis operetur ipsum exterius aqua aspergunt; unde calor concentratus majorem vim, atque activitatem acquirit. Alienus sit ab omni animi pathemate, si adultus, vel vir sit; nam

in

in omni perturbatione, ſive animi affectione multa in hominum corporibus excitantur, & moventur, quæ ne dum morbos (ſi qui adſunt) graviores facere poſſunt, verum etiam novos valent procreare. Neque colloquiis, & ſermone fatigetur; quum enim caput, ob dolores, quos ſuſtinet, debile admodum ſit, facili negotio mens ita perverti, ac turbari poteſt, ut delirium, vel alia capitis affectio ſuboriatur; quies ergo ægrotantibus quammaxime neceſſaria eſt.

§. CXIII.

Victus ratio tenuis, & temperans eſſe debet; ægrotantium etenim corpora valde impura cenſentur: Et quia ab alimentis ſolidis maxima fit læſio, ut Hippocrates adnotavit; ideoque juſcula danda erunt, vel ſaltem liquores avenacei, aut hordeacei, quia hæc alimenti ſpecies ſummopere turbationes febriles temperat, moderatque; & ſi quis a diæta tam propria, ac convenienti lædatur, ad ſummum panatellæ tenues, ac ſorbiles, vel aliud quid ſimile exhiberi poterit in parva quantitate, at a ventriculo facile concoquatur; carnes, & ova vitando. Neque etiam de hac alimentorum ſpecie ſupra præſcriptorum multum offerre debemus, ſed tantum, quantum ad vitam, vireſque ſervandas, & ad animi deliquium arcendum ſufficere poteſt. Nihil eſt quidem quod morbum hunc, ejuſque ſymptomata magis exaſperet, quam alimentorum quantitas paulo major, vel ipſorum qualitas. Nec ad calidiora tum in alimentis, tum in aliis rebus citra ægrotantis perniciem, ac grave damnum tranſire poſſumus.

§. CXIV.

Ptiſana pro potu ordinario debet eſſe valde congruens, & propria; & quum hoc præſertim tempore

pore ob febris ingraveſcentiam ægrotantes valde ſitiant, ſedulo tamen curare debemus, ne extra modum ipſis indulgeamus; attamen ne quid nimis, ne a nimio inflammatorio febris æſtu fluida craſſiora, & ſpiſſa evadant, ac proinde ob ignaviam, ac denſitatem ad criſim fiant ineptiora. Ptiſana igitur ex radice ſcorſoneræ, raſura cornu cervi, cum ſemine fœniculi, vel aliud quid ſimile pro grato odore parari poterit, præcipue in regionibus frigidis, ubi alimenta, & medicamenta parum calidiuſcula, ut communi voce utar, quandoque (non vero ſemper) convenientia ſunt, ut experientia oſtendit. Ceterum diverſimode parari poterit, pro regionum diverſitate, cum hordeo ſcilicet, & avena mundatis, vel ſaltem probe lotis, & ſimilibus. Si vero regio calidiſſima fuerit, vel anni conſtitutio præ aere calido ferveat, etiam majora refrigerantia addi poterunt, ut ſuccus mali medici, vel (ut ex italico reddam) *limoniorum*, vel ſpiritus vitrioli ad pauciſſimas guttulas, vel hujuſmodi; appoſite tamen, & intra modum, ne forte eruptio, atque variolarum elevatio a nimio, vel intempeſtivo refrigerantium uſu impediatur.

§. CXV.

Notandum præterea eſt veteres Arabas pro ordinario potu decoctione ficuum, paſſularum, lentium, & ſimilium uſos fuiſſe; & ſi ægrotus de magno conquerebatur calore, & puſtulæ non bene, & prompte erumpebant, huic decoctioni paullulum croci orientalis adhuc addidiſſe; nec refrigerantibus tantum, & acidis potionibus negotium hoc reliquiſſe (licet in Perſia regione calidiſſima Rhazes ſcripſerit, refrigerantia, & acidas potiones convenientiſſimas eſſe): Sed cognoviſſe etiam alimenta, vel aquam pro potu ordinario, vel medicamenta parum calidiuſcula quandoque (ſed non

ſem-

ſemper) optima eſſe, atque neceſſaria ad eruptionem, elevationem, & continuatam expulſionem juvandam, quando natura per ſe iſtis indicationibus haud ſatisfecerit; quid ni forſitan quandoque opportuna minime in regionibus frigidis, & Borealibus etiam cenſeri debeant?

§. CXVI.

In iſtis primis febris diebus ad omnia, quæ huic morbo conveniant, invigilare oportet; nam a calido cubiculo, vel ſtragulis valde calefacientibus ſanguis nimis æſtuat, & efferveſcit; unde Galenus prudenter his verbis nos monet „ Vicinia rei cali-„ dæ eſt cauſſa febris: „ Ubi igitur febris aderit, calor aeris ambientis, ſtragulorum, vel hujuſmodi, majorem in ſanguine efferveſcentiam, hoc eſt, velocem, perturbatumque motum producet, a quo deſpumatio (ut cum Arabicis Medicis loquar), & ſeparatio materiæ varioloſæ impedietur potius, quam promovebitur. In majori enim fluidorum agitatione, major confuſio, major mixtio; vel ſaltem ſeparabitur potius quod ſeparari minime oportebat, & quod a ſanguine abſcedere præſtitiſſet, detinebitur; vel tandem materia hoc modo agitata, & confuſa in alia corporis parte, quam res ipſa exigit, deponetur; Ex quibus inordinatis, confuſiſque motibus, ſeu ab hoc perturbato ordine aliquod haud dubie damnum erit expectandum.

§. CXVII.

Obſervanda poſtea erit febris, quæ a ſanguinis vitiato motu, aut a quantitate, vel qualitate ipſius producitur (*b*); & tum ſecundum ipſius indolem, cum etiam ſymptomatum acceſſionem medicamenta ratione, & conſilio indicata aptanda erunt; & ab indicationis facile poterit Medicus quid natu-

ra;

(*b*) Bellinus de Febrib. Propoſit. 2. p. m. 24.

ra, quid morbus exigat, deprehendere. Indicationum igitur cognoſcendarum, quæ clare, diſtincteque quid morbus exigat, quid expediat demonſtrando, mentem illuminant, maxima eſt in medicinam faciente neceſſitas.

§. CXVIII.

Et ut recte aſſiſtens Medicus ratione utatur, etiam ad primarum viarum apparatum mentem ſuam convertat; cum natura-met clare oſtendat in hujus morbi initio qua arte juvanda ſit, abſque ullo errore, & abſque ægrotantis damno; ut (ex. g.) ſi febris valde mitis appareat, & in dorſo tantum ægrotans moleſtiam, ac dolorem ſentiat, cum diſpoſitione ad vomitum, vel ſemel tantum vomuerit materiam quamdam phlegmaticam, abſque ullo colore, vel ſapore; ſomnus, & reſpiratio ſint naturales; atque alvus ſponte, & naturaliter quotidie deſcendat, nec de ſiti conqueratur; omnia iſta ſigna diſcretas variolas, atque benignas erupturas eſſe denotant, & quæ nullo, vel tantum blando quodam, ac modico auxilio indigent, ut naturæ potius, quæ perfectiſſime omnia facit, cura ſit relinquenda, quam ad artem confugiendum. At ubi aliter ſe res habeat, tunc arte naturæ opus ſupplere, ac adjuvare non tantum utile, verum etiam eſt neceſſarium.

§. CXIX.

Secundo conſiderandum eſt, utrum febris magnum præ ſe ferat impetum, (ut Arabes loquuntur) ſicuti utplurimum in variolis malignis apparere in initio ſolet, multa ſecum, & gravia ſymptomata ducens, difficilem ſcilicet reſpirationem, gravem capitis dolorem, delirium, coma ſomnolentum, cordis oppreſſionem, nauſeam, vomitum, ſubſultus, ſomnia terrifica; atque alia jam ſuperius recenſita, quæ omnia ſatis clare humorum ma-

maximum apparatum oſtendunt, atque etiam malignarum variolarum eruptionem prænunciant. Prudenter igitur primo ſanguis mittendus ex brachio, ſæcundum ægrotantis ætatem, ut exinde orgaſmus ſanguinis quodammodo ſedetur, & ipſius confuſus, perturbatuſque motus, ac fervida agitatio temperetur, & circulatio libera, ac regularis evadat. Vena quidem, ex Bellini (*i*) ſententia „In omni „ morbo ſecunda, in quo aut minuenda quantitas, „ aut augenda velocitas ſanguinis, aut refrigeran„ dum, aut humectandum.„ Deinde vero corpus, & viſcera a ſordibus, atque impuritatibus medicamento lenienti, minorativo dicto, attamen efficaci, ut natura ſe exoneret, repurgare neceſſe eſt; immo altera die, ſi eruptio non adhuc inceperit, clyſteres addere oportebit; & tunc orgaſmo temperato, liberius, rectoque ordine ſanguis ſuos fluxus, refluxusque peraget, & mitius; atque expeditius (natura recte a ſordibus exonerata) criſim ſuam, eruptionem ſcilicet, opportuno tempore promovebit.

§. CXX.

Quando ergo impetum magnum in febre aſpicimus (ut nuper recenſuimus) cum delirio, capitis acuto dolore, ſomniis terrificis, jactationibus continuis, animi deliquio, & ſimilibus, quæ maximum humorum apparatum, & ipſorum pravitatem oſtendunt, quamquam hæc omnia futura eruptione mitiora evadant (ſi tamen natura in tali, & tanta humorum confuſione, perturbatione, & oppreſſione perfectam varioloſæ materiæ expulſionem efficere poteſt), prudenter tamen nos futuræ criſi acquieſcere non debemus, ſed ea omnia, quæ tumultuantem, atque confuſum naturæ motum pacare, ipſamque a quantitate, & qualitate hu-

(*i*) De miſſion. ſangv. Propoſ, VI. p. m. 103.

humorum opprimentium levare possunt, in usum revocare. Si vero post peractas evacuationes, missionem sanguinis scilicet, & purgationes, pacato orgasmo sanguinis, variolæ non amplius apparuerint, immo si una, vel altera, quæ antea erat erupta evanuerit, nihil timendum; præstabit quippe potius hoc tempore variolis carere, quam ægrotantem in tanta humorum copia torpentem relinquere, & in tanto sanguinis orgasmo perdere.

§. CXXI.

In variolis duo consideranda veniunt, primo caussa interna ipsas producens, quæ ab humore atrabiliario, una cum aliis humoribus, sive cachochymis, sive cacheticis in ægrotantis corpore antea existentibus provenit, & ipsorum evacuationem postulat; secundo naturæ motus critici continuatio. Hæc, ut cum euphoria sequatur, primo opus erit promptam, paratamque naturam reddere ad opus inceptum perficiendum, eam exonerando ab opprimente humorum sarcina; quo facto, res felicius procedet, alioqui succumbet, & ab humorum copia obruetur: Deinde vero expulsivis medicamentis proportione exhibitis res secundum votum succedet, quum natura tunc capax, ac idonea fiet, quæ liberius, atque facilius residuum malignum humorem ad peripheriam urgeat, atque expellat. Sermonem igitur nos de primis febris diebus faciendo, quando maculæ minime eruptæ sunt, quando nulla crisis, nulla expulsio incepta est, juvat quammaxime naturam exonerare, ut crisim suam perfectam, & absque ullo impedimento queat facere, quum & Galenus (*k*) generatim de febribus loquendo, perquam necessarias esse purgationes, ut ad crisim efficiendam natura inducatur agnoverit. Hujus sententiæ fuerunt etiam Alexander

(*K*) De crisib. 3. 3.

der Trallianus, Ætius, Sennertus, Riverius, & alii optimæ notæ auctores, quod neque in ægroti perniciem eſt (ut inſcius vulgus credit), neque contra leges Hippocratis, neque contra generalem rationalem medendi methodum, præcipue in febribus putridis, & inflammatoriis: Immo ſi quid boni in malignarum variolarum curatione augurari poſſumus, cupimusque, id ex hoc tantum curationis principio, & methodo ſperare licebit.

§. CXXII.

Sanguinis miſſio ante perfectam variolarum eruptionem Arabum methodus fuit, & præcipue Rhazis, Avicennæ, Avenzoar, Averrhoes, Ætii, Oribaſii, atque aliorum, quæ methodus tum a veteribus, tum a recentioribus Medicis felici praxi in uſum habetur; & quidem neque Arabes, neque Europæi meliorem, tutioremque hac ad ſanguinis magnum fervorem prompte temperandum, & ipſius orgaſmum compeſcendum invenire potuerunt, probe dignoſcentes, correcto, temperatoque ipſius confuſo, & ferventi motu, rectius, atque expeditius variolarum criticam eruptionem promoveri; argumentum nimirum ab ipſamet natura deſumendo, ſemper medendi magiſtra, quæ in tali ſanguinis fervore fere ſemper narium hæmorrhagia ipſa ſibi opem ferre conatur. Hanc quoque ſalubrem methodum, præter citatos ſcriptores amplexati ſunt Hæredia (*l*) Ludovicus Mercatus (*m*), Zaccutus Luſitanus, Pemplius, aliique complures, quorum catalogum hic contexere longum, moleſtumque foret. Monendum inſuper eſt, quod ſi Medicus ſecunda, vel tertia febris die fuerit accerſitus (quod non raro evenit), & una, vel altera macula in col-

---

(*l*) In ſuo tribunali medico, De variol. Cap. 9.
(*m*) De pueror. morb. lib. 2. Cap. 22. n. 17.

collo, manibus, in facie, vel in qualibet alia corporis parte jam apparuerit, indeque a febris, & ſociorum ſymptomatum quantitate aliquam tentare evacuationem arguat neceſſarium, tuto illam exequi poterit cum laxantibus, vel clyſtere, ac etiam cum ſanguinis miſſione: Nam quando ſanguinis velocitas adaugenda, ut meliorem, promptioremque impurorum corporum ſeparationem efficiat, vel danda erit occaſio, ut particulæ ſanguinem componentes intime dimoveantnr, ut ipſum ſanguinem mutent, ex Bellini (*n*) ſententia ſanguis hac ratione mittendus. Hoc quidem tempore nulla criſis perfecta incepta eſt. Apparentibus aliquibus tantum maculis tunc non eſt criſis; denotant enim paucæ illæ maculæ naturam ab humoribus intus contentis laceſſitam, criticam quidem moliri expulſionem; ſed quum febris, ceteraque prava ſymptomata hoc tempore ferveant, fruſtra in hoc uno naturæ molimine poſſumus acquieſcere; ideoque Mercatus (præter alios ſupra recenſitos) maculis apparentibus morbum minime judicatum eſſe cenſet: Et ex Mortoni ſententia in variolis licet una, vel altera macula in facie, collo, manibus, vel alibi appareat, nulla tamen adhuc incepit eruptio, ſed futura deſignatur criſis; ſunt quippe ſigna, & veluti rudimenta. Tunc profecto dicitur naturam criſim incepiſſe, quando omnes fere maculæ jam eruptæ ſunt, & tota corporis peripheria, vel ſaltem major pars eiſdem conſperſa adſpicitur. Eruptio igitur unius, vel alterius maculæ nullo pacto Medicum ab eo, quod opus eſt, retardare debet, ob vanum invertendæ criſis timorem, quia una, vel altera macula erupta non eſt criſis principium, ſed tantum ſignum futuræ criſis. Ex iſtis allatis rationibus facile præjudicatas opiniones a medentium mente remotum

iri

(*n*) De m. fl. ſangv. Propoſ. VI. p. m. 103.

iri arbitramur; quod quidem & cupimus, tum publico ægrotantium commodo, cum etiam ut medicinæ ſuus conſtet honor, atque decus.

§. CXXIII.

At ubi in hujus impetuoſæ febris initio cordis oppreſſiones, animi deliquia, delirium, dolor capitis acutus apparent variolis jam eruptis, pluries ego vidi ægrotantes enormes paſſos fuiſſe narium hæmorrhagias, quæ nullo opportuniori auxilio, quam phlebotomia corrigi, & temperari potuerunt. Quo jure igitur ubi nulla eruptio incepta, vel pauculæ tantum maculæ apparuerunt, tam opportunum, efficax, & neceſſarium auxilium repudiandum, ac negligendum, febre, & ſymptomatibus ſociis hoc aperte indicantibus? Si timor adeſt de ſanguinis moderata evacuatione arte facta, cur non de enormi etiam narium hæmorrhagia, quæ non ſemel, ſed pluries quandoque variolarum etiam eruptione peracta advenit, & quæ tunc temporis fatalis eſſe poteſt, metuendum? Cur de ſputo, vel cruento mictu, funeſta alioqui ſymptomata, adeo non ſolliciti? Tempore igitur opportuno, ubi nulla eſt eruptio, vel ſaltem ubi una, vel altera macula apparuerit, tutiſſime vena ſecanda eſt ad futuras narium hæmorragias vitandas, ſanguinis impetum temperandum, & corrigendum; & ne alia prava ſymptomata ſuperius jam enarrata, vel ſimilia miſerum ægrotantem adoriantur, ſedulo præcavendum.

§. CXXIV.

Ex hiſce conſiderationibus concludere licet multum adeſſe periculi in variolarum febris initio ex venæ ſectionis omiſſione, quæ ſi adhuc neglecta fuerit, mox variolis erumpentibus, ut nuper diximus, ubi magna adſit ſanguinis effervescentia, omnino fieri debet ex Rhazis ſententia, Avicen-

næ (*o*), Foresti (*p*), Amati Lusitani (*q*), Nicolai Fontanæ (*r*), Gremsii (*s*); quod & Diomedes Amicus Medicus Placentinus (*t*) scite observavit, monuitque hisce verbis „ Ceterum quando appa-„ rent sine allevatione, & adsunt signa humorum „ in profundo existentium, præsertim cum magna „ febre, & difficultate anhelitus, & non esset fa-„ cta venæ sectio in primis diebus, ceteris con-„ sentientibus, maxime in magna plethora, non „ esset inconveniens evacuatione uti, sed parca. Quum igitur venam secandi necessitas, vel ex constanti ægrotantium emolumento ab Arabibus dudum sit demonstrata, eamque Europæi tam antiqui, quam recentiores rationibus, atque experimentis comprobaverint, cur quæso tu vagari vis cum aliquibus, qui cacoethe tantum scribendi ducti futilia scripserunt, viamque tam adeo tutam, rectam, atque rationabilem deserere tentas, cum ægrotantium damno, & tuæ existimationis jactura? Eo magis, quia quando febris, ut diximus, valde aucta est, magnam quantitatem variolosæ materiæ intus latentis denotat; quæ non solum in glandulis cutaneis, verum etiam in internis, hoc est in pulmonibus, hepate, ventriculo, intestinis, & ceteris corporis partibus eruptionem promovet, & ita promovet, ut postea in sphacelum, vel gangrænam interiores partes facile abire possint, nisi vehemens ille sanguinis fervor fuerit diminutus; quo fit, ut non tantum aliqua morbificæ materiæ portio recedat, & expellatur, verum etiam tale massæ sanguinis momentum additur, ut facilius per-

---

(*o*) Fen. 4. Tract. 4. Cap. 10.
(*p*) Libr. 6. Observat. 46. & 47.
(*q*) Centur. 3. Cur. 16.
(*r*) Respons. & curat. med. lib. 1.
(*s*) Arbor. ruinos. lib. 2. c. 3. De Variol. & Morbill.
(*t*) Tract. de Variol. c. 40.

perfectam ſeparationem, & materiæ morbificæ expulſionem extra cutem peragat, ex quo fere tota ægrotantis ſalus dependet, atque deſumitur.

§. CXXV.

Neque hic loci congruit quod Hippocrates ſcripſit „ Quæ judicanda, movenda non ſunt; „ ſed hoc ita intelligendum, judicationis ſcilicet tempore humores minime movendos eſſe neque purgantibus, neque clyſteribus, neque ſanguinis miſſione, dum ſcilicet actu natura ad judicationem criſi promovet, non autem quando hanc nondum incepit. Sed ſi ejus ſententiam variolis quoque aptare cupimus, ego quidem ſentio; quod dum jam incepta erit eruptio, ut totum corpus, atque facies rubris maculis fuerit conſperſa, nihil ſane tunc temporis agendum eſſe, niſi magna indicantia, & plethora acceſſerint; nam quidquid eo tempore Medicus faciet, id contra naturæ motum criticum erit; abſurdum ergo tunc erit movere; quum etiam ex eodem Hippocrate alibi habeamus „ Dum natura mo„ vet, noli movere; tu. „ Certum quidem eſt, quod perfecta eruptione peracta, maculæ rubræ per totam corporis peripheriam efflorescentes demonſtrant naturam jam eſſe in actu critico expulſionis humoris varioloſi per cutem: Et in hoc rerum ſtatu facile ipſe conceſſerim, nihil ab actione critica, qua occupatur natura, oppoſitis viribus eſſe removendum, neque purgantibus, neque clyſteribus, neque ſanguinis miſſione; nam facile criſis inverteretur, & materiæ pravæ, putridæ, ac malignæ expulſio per cutem fruſtraretur, dummodo tamen natura aliter haud efficaciter poſtulet, ut Arabes, & Diomedes Amicus ſcripſerunt; materia etenim non recte ad cutem expulſa, & intus in viſceribus deliteſcens, ægrotantem peſſumdare facile poſſet, & error claſſicus foret. Ceterum etiam Hippocrates ſcripſit „ In morborum principio ſi

„ quid tibi movendum videbitur, move: „ Non igitur ob inanem metum tanto auxilio ægrotum fraudare debemus. Cum ergo febris tot pravis ſtipata ſymptomatibus adſit, & venæ ſectio neglecta ſit, ſputum ſanguineum, mictus ſanguinis, enormes narium hæmorragiæ, & phlogoſes ut plurimum ſubſequi ſolent. Et quamquam forte minime contingant, alia tamen exanthemata livida, plumbei, vel nigri coloris aliquando in dorſo, in pectore, atque alibi, neglecta pariter ſanguinis miſſione, erumpi quotidie experientia docuit.

§. CXXVI.

Convenit etiam hic loci afferre, quod claſſici, & optimi medicinæ ſcriptores de hac re ſcripſerunt. Ætius de variolis ſermonem faciens, omnia refert, quæ Herodotus de illis humoribus narravit, qui ad cutem adſportantur, & parvulas cum puſtulis producunt exulcerationes, quæ febri ſociantur, vel febrem ſubſequuntur, præcipue vero de illis humoribus, qui pruritum excitant, & ſimiles ac morſus pulicum edunt maculas: In iſtis quidem febribus credidit Herodotus oppreſſam, & a ſuperfluo humorum corruptorum copia naturam fere eſſe ſuffocatam; qui niſi evacuationibus, ut ſunt vomitiva, purgantia, & ſimilia exturbentur, nobiles corporis partes facile poſſunt obruere, maximumque parere damnum; atque hoc ut veterum monimentis celeberrimum eſt, ita præſtantiſſimum, efficaciſſimumque in praxi comprobavimus. Si autem initio febris impetuoſa, ut Arabum uſitato utar vocabulo, apparet, ad ſanguinis miſſionem vir ille confugiendum ſtatuit. At ignarus vulgus, mulierculorum ſcilicet, & illorum, qui medicinam ignorant, in turpi hoc errore verſantur, hujuſmodi nempe evacuationibus humores fere cutem appulſi, & jam prope eruptionem inibi molientes, a peripheria ad centrum inverti, ac retrocedere ſint coacti.

coacti. Sed prophani isti nequaquam sunt audiendi, & a medicinæ sacrario omnino ablegandi, dum illic trepidant timore, ubi nullus adest timor. Vanus siquidem timor est, & vana, atque falsa persuasio, quod humores, qui ad eruptionem jam præsto sunt, & qui deinceps subsequuntur, a peripheria ad centrum retrocedere cogantur, quum hæc & contra rationem, & contra constitutas animalis œconomiæ leges, vel qui extremis digitis eas attigerit, plane repugnare fateatur necesse est. Impeditur itaque critica eruptio, quia sanguis crassus, viscosus, & impurus, nisi prius a nimia quantitate diminutus, ac etiam exoneratus ab immoderata pravorum humorum abundantia, nondum ad crisim, sive eruptionem promovendam aptus est, & idoneus; atque hæc diminutio evacuatione, seu venæ sectione peropportune consequi, ex his, quæ alibi in §. CXIX., CXXII., &c. diximus, manifestum est *liberiori motu circulat*, & *melius*, *atque facilius ab intus extra materiam varioloſam expellit*; & *sic mitius*, *ac secundum naturæ ordinem eruptio promptior*, *lenior*, & *felicior promovetur*. Satis igitur, quoad potui, missionis sanguinis necessitatem demonstrasse, eamque rationibus, experimentis, & auctoritatibus confirmasse videor; quo tandem & nos majorum exemplo, & auctoritate excitati, quod ii præmonstrarunt iter; & magna cum laude, sapientiaque confecerunt, tuto, ac prudenter in posterum sectemur.

§. CXXVII.

Sed nec illud est ad rem nostram omittendum, non sine ratione fervorem illum febrilem ab atra bile pravis humoribus sociata promotum, perfectivum ideo apud nos dici solitum, quod rem ad perfectionis statum disponat, hoc est ad continuatam cutaneam expulsionem, qua massa sanguinis a sordibus liberatur. Omnia quidem vitia in aperto le-

viora ſunt; & morbi ad ſanitatem inclinant, quum ex abdito erumpunt, vimque ſuam extrinſecus proferunt; hoc vero evenit, quando natura exonerata eſt; quæ niſi pondere levetur, ſane vehementi illo fervore, atque æſtu febrili corruptivo affici neceſſe eſt, quia humores in viſceribus relicti ad peſſimam tendunt corruptionem, ad quam etiam maſſa ſanguinis trahitur.

§. CXXVIII.

Adnotandum etiam ſæpenumero in febris variolosæ initio ſponte diarrhœam ſupervenire, quæ ſi moderata ſit, nihil nocet; ſi vero eruptionis tempore copioſe adhuc perſeveraverit, non erit amplius bonæ notæ, dum variolarum conformationem, elevationem, atque maturitatem graviter impediet; ideoque cito rhabarbaro temperanda, & corrigenda, itemque & clyſteribus ex lacte, vel hordeaceo liquore confectis. Etiam hic adnotandum eſt (quod contra vulgi errores obſervatum volo) Rhazem felici eventu in prima febris die ægrotantem dura, adſtrictaque alvo laborantem curaſſe infuſo lenitivo, per aliquot dies continuos, quo alvus bis de die deſcendebat, qua arte puſtulæ pauciores, benignioreſque evadebant; vitando tamen tempore criſis medicamenta fortiter purgantia, ne ægrotans in dyſenteriam irrueret.

§. CXXIX.

Scias velim inter varioloſos illos ſemper fuiſſe ſuſpectos, quibus eruptio ante quartam febris diem incepit; Variolæ namque ante tempus erumpentes fere ſemper malignæ ſunt, quæ vitæ diſcrimen ægrotanti minantur. Si ante earum eruptionem debitas, indicataſque evacuationes iam feceris, in magna ſanitatis ſpe ægrotum eriges; ſi vero non, juſtus erit timor. Attamen quando ſymptomata adeo gravia adſunt, ut caput, pulmones, atque

alia præſtantiora viſcera lædi timeatur, quemadmodum in delirio, magna cordis oppreſſione, reſpiratione vel citata, vel difficili, animi deliquio, & ſimilibus, quum inde humorum copiam nimis auctam eſſe arguamus, a qua maximum damnum, & vitæ periculum metuitur, tunc miſſionem ſanguinis incepta adhuc eruptione, non ſolum ante dictis ſuffultam rationibns, verum etiam ſalutarem experimur, dummodo proportionata ſit, hoc eſt mediocris ſanguinis quantitas extrahatur, licet tempus non valde opportunum videatur. Avicenna, qui in primis febris diebus, ſi neceſſitas urgebat, ſanguinem omnino mittendum eſſe cenſuit, addidit etiam, quod ſi vehemens repletio, & materiæ dominatus id requiret, eruptis quoque variolis ſanguis mittatur. Aliqui inſuper recentiores in primis febris diebus, ante variolarum eruptionem ſanguinis miſſionem quammaxime laudant, atque commendant ad febrem temperandam, & ad eruptionem, expulſionemque liberiorem, ac placidiorem promovendam, atque ad alia funeſta ſymptomata vitanda, ut ſunt ſanguinis ſputum, cruenta mictio, & cetera hujus generis. Sic Sennertus prudens Germaniæ Medicus, Aloyſius, Torellus, Carmona, Maroja, Mercatus, Angelutius, Zacutus, Augenius, Euſtachius, Rudius, & alii plures; immo etiam Pemplius Lovanii Profeſſor, Zeibititius, Fuchſius, Hæfferus, qui omnes poſt inceptam quoque eruptionem venæ ſectionem laudant; quamquam in eo diſcrepent, quod alii ſemper maculis apparentibus, alii ſolum in plenitudine ſentiant ſanguinem eſſe mittendum. Nunquam igitur venæ ſectio, modo fuerit moderata, in cauſſa erit quod critica impediatur expulſio, licet jam eruptio aliquatenus initium ſumpſerit, modo tamen ſignis recenſitis ægritudinem ipſam hoc auxilii genus expoſtulare dignoſcamus.

§. CXXX.

Sic itaque temperato inordinato, confuſo, ac turgente humorum motu, ut exonerata natura melius, ac expeditius reſiduæ morbi cauſſæ expulſionem ad cutem promovere queat; mox paregorica remedia in uſum revocanda, ut diacodium Montani liquidum, vel ſi vis, adhuc parum laudani, quibus ſemper conſultum erit addere medicamenta, ut appellamus, abſorbentia, dulcificantia, ac etiam, ſi opus ſit, eorum valde parum, quæ expulſionem faciliorem reddunt. Secundum quidem naturæ leges eſt, quod quantitate humorum diminuta, & fluidorum inordinato motu temperato, quod reliquum eſt melius, mitiuſque a maſſa ſanguinis ſeparetur; neque illam auctam pravorum humorum quantitatem variolæ erupturæ ſecum adducent, cum jam debitæ evacuationes factæ ſint; ideoque poſtea majori cum ſecuritate ad temperata expulſiva medicamenta tranſire poterimus.

§. CXXXI.

Prudenter tamen tempore criſeos te geras oportet, parum, vel nihil moliens, nec plus quam decet expulſionem promovens; relinque potius (ſi id conveniens, ac utile credas) hoc opus naturæ, quo ipſa humoris putridi, ac maligni ſeparationem, atque ejectionem mitius quam poterit aggrediendi tempus, & locum habeat, dummodo nullum ſymptoma urgens oriatur, quod hanc cogat removere cunctationem, ut diarrhœa enormis, narium hæmorrhagia, ſputum, vel mictus cruentus, & ſimilia. Prima vero, vel ſecunda eruptionis die diligenter perpende, utrum natura incoatæ criſi ſatisfaciat, an non, ut congruens, aptumque auxilium tutius valeas ſuppeditare.

§. CXXXII.

Cavendum igitur eſt ne diaphoreticis natura urgeatur antequam eruptio exordiatur; ſcilicet, antequam criticum expulſionis tempus accedat. Etenim qui plus facit, ſemper minus facit, immo loco diaphoreſis, & cutaneæ eruptionis, diarrhœa, hæmorragia, vel quid ſimile tali methodo promovetur, & critica eruptio invertitur; nondum enim cutis ab humorum appulſu humida ſatis, mollis, & laxata evaſit; nam „ Ventris laxitas, cutis den-„ ſitas. Hippocrates.

§. CXXXIII.

Animadvertendum eſt, apparente jam febre variolarum nos hanc curationis rationem propter variam regionum diverſitatem nunquam variare debere, quæ tantum obſervanda venit poſt perfectam eruptionem in aliquibus aliis circumſtantiis, ut inferius dicemus, & non in primo curationis exordio; quum in omni regione, ſive calida, ſive frigida, ſive temperata, & in quolibet anni tempore, & in qualibet epidemia, curatio ſemper incipienda eſt ab humorum diminutione, detractione, & evacuatione, dummodo turgeſcere humores, atque fervere conjectura aſſequatur; ac etiam a ſanguinis miſſione; eoque magis ſi capitis acuto dolore, delirio, animi deliquio, vel alio gravi ſymptomate febri impetuoſæ conjuncto ægrotantem affligi cernamus; a quo caſu infantes tantum lactentes, & alios, qui quartum, vel quintum ætatis annum non attigerunt, excipimus. Rhazes vero in Perſia, regione calidiſſima, pueris minime pepercit, & præcipue quando violenta ſymptomata febri ſociata obſervabat, ſanguinem uſque ad animi deliquium (Arabum more) mitti jubebat, vel cucurbitulas ſcarificatas applicabat. At ubi mitiora ſymptomata apparebant, moderata venæ ſectione uſus eſt,

vel

vel in brachio, vel in poplite, ubi melius vena se manifestabat. Mea vero sententia, generaliter loquendo, in tali casu ea est, ut pueris, & præcipue lactentibus, vel mox a lacte divulsis parcamus: Attamen si validissima appareant signa, quæ ad sanguinis detractionem nos inducant, crederem tutius esse, ut aliquoties cum euphoria expertus sum, ipsam tentandam duabus hirudinibus cruribus applicitis in pueris lactentibus, vel mox a lacte depulsis. Post quartum vero, vel quintum annum cucurbitulis scarificatis.

§. CXXXIV.

Quod ista evacuandi media, morbo ineunte, sint quammaxime necessaria, morbus metipse utplurimum ostendit. Pluries ego observavi in principio febris variolarum confluentium, vel cohærentium narium hæmorrhagiam, vel diarrhœam supervenientem, per quam natura a pravis, ut dixi, impurisque humoribus in primis viis jacentibus se exonerare tentabat, quæ tametsi quandoque post biduum, vel triduum per sese evanescceret, non tamen semper hoc brevi tempore sistebatur, & timorem de frustrata eruptione inducebat. Quando igitur ita se habeat ægrotus, ad hanc corrigendam, & tollendam adhibendi primo aliqui clysteres abstergentes ex lacte, vel cremore hordei, quibus si non cedet, tunc rhabarbaro propinato, & adhuc clysteribus ex decocto radicis tormentillæ in aqua hordei adhibitis temperandam censeo, ut pluries feliciter expertus sum. Nec sane aliud tutius auxilium, cum nec opiatis, nec adstringentibus, cum quibus lupum in ovium stabulo claudimus, uti sit licitum. Quod si damnum a rhabarbaro, & clystere timetur, majus timeri debet a diarrhœa, quæ etsi quandoque paregoricis, & opiatis (quod tamen aberrat a methodo) sisti contingat, hoc tamen tunc solum fit, quum natura satis ab oppri-

mente colluvie se exoneravit. Asseverare itaque debeo me nullis aliis medicamentis ipsam nec cito, nec tute, nec jucunde corrigere, & tollere potuisse, nisi methodo prædicta.

§. LXXXV.

Considerare etiam debemus, quando eruptio non incepta est, tum liquidorum, tum solidorum ægrotantis corporis dispositionem. Certum quidem est plurima liquida vel cacochyma, vel cachectica hoc variolarum tempore a natura per cutaneorum glandularum ductus ad corporis peripheriam expelli, nisi solidorum viæ obstructionibus sint impeditæ. Tunc impedimenta, si quæ erunt, tollere debemus frictionibus, & levibus expellentibus medicamentis. At Arabes, & præsertim Rhazes ægrotos evaporare permittebat aqua calida in balneo; quæ methodus in cutis obstructione valde laudabilis est, atque commendabilis; & quæ nuper in Hungaria revixit, juxta Clarissimi Danielis Fischeri historicam descriptionem de remedio rusticano „ variolas per balneum primo aquæ „ dulcis, post vero seri lactis felicitate curandi „ in Comitatu Harvensi Hungariæ superioris, cum „ optimo successu adhibito; „ & quæ methodus (pro rei veritate) efficacissima est ad pustularum eruptionem promovendam. Attamen Arabes sapienter talem methodum nunquam ad praxim revocabant, nisi prius sordibus expurgato corpore, & sanguinis missione febris impetu temperato.

§. LXXXVI.

Ne mireris, quæso, me toties, tantisque modis, & rationibus tum sanguinis missionem, tum alios evacuandi modos inculcasse, dum animum induxi meum omnia, quæ quinquaginta annos usu, & experientia opportuna, & utilia evidenter

ter cognovi, ad juvenum, atque tyronum directionem clare, & absque fucositate depromere.

§. LXXXVII.

Peractis igitur evacuationibus opportuno tempore, hoc est in primis febris diebus, juvandus est ægrotans, ut dixi, levibus, ac valde temperatis medicamentis expellentibus ad eruptionem promovendam, quam consequimur a blandis diaphoreticis refracta dosi exhibitis, & absorbentibus mixtis, ut sunt c.c. s. i. pp, lapid. cancr. pp, unicorn. ver. s. i pp; quibus addi poterunt aliquot grana bezoar oriental., vel stibii diaphoretici, vel quid simile; atque hoc modo perseverandum, usque dum eruptio incipiat, & maculæ per totam corporis peripheriam appareant. At ubi sudore perfundi videatur, a diaphoreticis abstinendo, in usum absorbentia tantum sunt revocanda, ut matr. perlar. pp, conch. pp, c. c. s. i. pp, lapid, cancror. pp, & similia.

§. LXXXVIII.

Hoc autem tempore minime negligere debet Medicus opportuna medicamenta oculos defendentia, ne in oculi bulbo variolarum pustulæ, a quibus oculi organum lædatur, emergant; ideo antequam eruptio incipiat, singulis quibusque horis oculorum palpebræ lenissime fricandæ sunt comis absinthii recentis; vel si mavis, nodulo sequenti modo parato.

℞. *semin. summach.* ℥ij
cartham. ℥j.

contunde, & fiat nodulus cum linteo mundo, quem in aqua rosarum albarum distillata immerges, & tum intra, cum extra oculum, palpebras scilicet, madefac, ut una, vel altera guttula etiam oculi bulbum abluat, quod sæpe in die iterandum

randum eſt, non ſolum ad perfectam uſque puſtularum eruptionem, verum etiam poſt quartam primæ eruptionis diem, quo tempore novæ variolarum puſtulæ erumpere ſolent, ut dixi §. LXXXIV.

§. CXXXIX.

Sunt qui credunt in ſapphyro, & in cryſtallo montana ſpecificam ad defendendos oculos ineſſe virtutem ab eruptione variolarum, dum ſapphyrus, vel cryſtallus montana pluries oculorum palpebris applicetur, atque per breve ſpatium ſuper oculum detineatur; cui ſpecificæ virtuti fidem qui vult adhibeat; ego nunquam. Hoc tantum mihi perſuadeo, ea ab eruptione variolarum oculos defendere non aliter poſſe, ac aurum, plumbum, ferrum, vel quodlibet aliud metallum, vel vitrum, cryſtallus ordinaria, ovum, & ſimilia; quum omne corpus tactu frigidum extrinſecus ſupra palpebras oculi ſuperimpoſitum, ut bulbus parumper frigeſcat, nullam patietur in ipſis eruptionem exoriri; arcet enim frigus externam variolarum eruptionem, non minus in oculis, quam in tota corporis peripheria, ſi corpus, ratione aeris ambientis, vel alia qualibet ſimili cauſſa frigeſcat (ut in §. CXII ſcripſi); conſtipatis quidem a frigore poris, & pororum ductibus, nulla eruptio advenit, quod & eadem ratione oculis obtingit.

§. CXL.

Conſideranda inſuper eſt eruptionis dies, quæ utplurimum in diſcretis, benigniſque variolis quarta erit a febris invaſione, vel ſeptima; at ubi in tertia febris die, vel paulo ante eruptio incipiat (ut ſcriptum eſt in §. CXXIX.), dubium non eſt quin variolæ malignitatem aliquam præ ſe ferant, quum vel impetus a ſanguine factus

citam

citam promoveat expulsionem, vel natura pravam humorum qualitatem, & quantitatem exuere cupiens, quantocius eam moliatur; in hac profecto circumstantia ad absorbentia recurrere methodus condocet. Adverte tamen, quod quandoque etiam in quarta febris die confluentes prorumpunt, & præcipue quando in primis febris diebus haud factæ sunt debitæ evacuationes; ex quarum omissione ideo hæmorrhagia enormis, diarrhœa, vel aliud quid simile interdum advenit, quod natura ad hæc symptomata magis urgentia amovenda totis viribus intenta eruptionem postponit: Hic moderata expellentia in refracta dosi adhibeto.

§. CXLI.

Præterea maculæ jam eruptæ si febris, atque alia symptomata evanescant, minime adauctam habebunt malignitatem; at si febris, & alia symptomata continuaverint, pessimæ erunt. Cave igitur hoc tempore a frequenti medicamentorum usu, & præcipue ab illis calidiusculis, a quibus febris magis incenditur, & confusus, perturbatusque motus in massa sanguinis paritur, & a quibus sæpenumero pacata pravorum humorum separatio frustratur, & inepta variolarum eruptio promovetur.

ELEVATIONIS CURATIO.

§. CXLII.

ERuptis maculis, consideranda venit ipsarum elevatio, quæ quotidie eo, quo decet, ordine procedere, & pustulæ in fastigium elevari debent. At ubi ipsarum elevatio lente progrediatur, manifeste cognoscimus non solum humorum ignaviam, inertiamque, verum etiam imbecilli-

tatem

tatem medicamentorum, quæ minime indicationi ſatisfecerunt; ideoque, vel eorum doſis, ſeu portio augenda, ſi expellentia ſunt, vel quidpiam aliud aptum magis, & idoneum addendum, veluti unum, alterumve granum croci orientalis, vel parum pulveris Comitiſſæ de Kent, chelis cancrorum compoſiti, vel (ſi urgeat neceſſitas) aliquot grana pulveris radicis ſerpentariæ Virginianæ, vel contrajervæ, vel bezoar orientalis, quo melius ſeparatio, & expulſio promoveatur: Caute tamen, & magna adhibita moderatione ob nimiam vim, & efficaciam. At ſi tunc cardiacis uti velis, elige pariter mitiora, habita portionis, ſeu doſis, & temporis ratione, ſumenda, diaſcordium videlicet Fracaſtorii in aqua cardui benedicti diſtillata ſolutum, nec non pulvere aliquo blande diaphoretico, & abſorbenti mixtum, ut

℞. *diaſcord. Fracaſtor.* ℥j, *diſſolve in*
aq. card. b. diſtill. ℥v.
c. c. ſ. i. pp
matr. per. pp.
ibii diaphoret. aa. ℥ß. *m.*

de qua mixtura quinta quaque hora, vel ſexta duo cochlearia ſumantur.

§. CXLIII.

Quando vero variolarum elevatio adhuc retardatur, licet ea, quæ expellendi vi gaudent, ſint adhibita, hoc duplici de cauſſa poteſt accidere, videlicet, vel a mala qualitate materiæ, utpote valde craſſa, & inerte, vel a viarum impedimento. Variolas has anomalas vocamus, nullo quidem ſervato ordine curſum ſuum peragunt; immo quoniam ſubtilis tantum materia ad cutem demandatur, craſſior vero in viſceribus adhuc inhæret, neque maturationis, neque debitum exſiccatio-

cationis tempus obſervant , quapropter & perniciosæ ſunt , & valde timendæ . Tunc ſi diarrhœa ſuperveniat , ne elevatio deturbetur , clyſtere ſtatim ex ſimplici decocto radicis tormentillæ confecto , in aqua avenacea , vel hordeacea incoctæ utendum eſt (quod pluries exitu ſane felici perfeci) quippe , qui materiæ inteſtina irritantis acrimoniam diluit , atque demulcet : Si vero perſeveraverit , addi poterit mixtura aliqua cum diaſcordio Fracaſtorii parata , in qua congruentem rhabarbari torrefacti doſem , vel ſpecies pro confectione hyacinthina incompleta , vel corallia rubra pp, vel unicornu foſſile , vel id genus alia , cum aqua cardui benedicti , & ſcordii diſtillata cochleatim ſumenda imperabis : Tali porro methodo diarrhœam compeſces , & variolarum elevationem eodem tempore promovebis . Sed opus eſt attente obſervare, num hæc, media diarrhæa, febris , & ſocia ſymptomata vel miteſcant , vel plane ceſſent; quum enim res tunc bene procedat, parum intereſt num forte variolæ in præſens abeant ; recurrent quidem poſthac, vel temporis decurſu, dummodo materiæ atrabiliariæ aliquid adhuc in ſuis capſulis ſuperſit . Quare Medicus elevatione poſthabita, ad reliquias morbi auferendas laxantibus minuentibus quotidie exhibitis animum convertat neceſſe eſt . Quandoque ipſamet variolosa materia renum vias invenit, & tunc urinam ſecretam copioſo ſedimento albo refertam conſpicimus; quæ ſeparatio, & expulſio plures perſeverabit dies , donec natura ſibi ipſi proſpiciens per hanc criticam excretionem fecerit ſatis ; quo etiam in caſu variolæ, abſque ægrotantis damno , vel periculo nunc evaneſcent, alias iterum comparituræ . Sedimento tamen urinæ ceſſante , purgantia non ſunt obliviſcenda.

§. CXLIV.

§. CXLIV.

Adnotandum hic eſt, quod ſicuti in adultis variolis confluentibus laborantibus, ſalivatio in primis eruptionis diebus advenit, a cujus continuatione tumor capitis, faciei, manuum, ac pedum maturationis tempore ſuperveniens reſolvitur; ita in pueris quatuor, vel quinque annorum eodem modo tumentibus, qui nec ſpuere, neque excernere ſalivam in ore affluentem ſciunt, utplurimum ſupplet diarrhœa, hocque fere ſemper in decima quarta die, quæ niſi præſentaneis compeſcatur remediis (ut ſuperius diximus), diuturna, & ſanguinolenta evadit, vel in veram dyſenteriam permutatur, lenta febre accedente; ipſi vero pueri carnibus omnino conſumptis in atrophiam incidunt, ac demum vitam cum morte commutant. Hoc in caſu Medicus, antequam morbus ingraveſcat, ad evacuantia rhabarbarina, abſque ulla cunctatione ſtatim confugere debet; & hiſce medicamentis, nec non clyſteribus ex lacte, & ſebo cervino paratis, vel liquore avenaceo, vel hordeaceo hujus ſyptomatis principiis prudenter obſtare; aliter ægrum perdet.

§. CXLV.

Si vero hoc eodem tempore, eruptione ſcilicet facta, atque elevatione variolarum incepta, narium hæmorrhagia ſupervenerit, & præcipue ubi antea ſanguis haud miſſus fuerit, dummodo moderatus ſit ſanguinis fluxus, res in vado eſt, atque nihil timendum; tunc quidem ad expellentia paregorica, ut diacodium Montani, vel diaſcordium Fracaſtorii, vel ad opiata confugiendo, atque etiam ad topica medicamenta naribus applicanda, acetum nimirum ſimplicem, aqua plantaginis diſtillata mixtum pro narium ablutione, vel aceti vaporem, eo ſcilicet ſupra ferri lami-

nam candentem effuso, vapore vero naribus excepto, facile sanguinis hæmorrhagia sistitur, ut experientia docuit, & variolarum elevatio continuatur. At si enormis fuerit hæmorrhagia, simulque sufficientia signa urgentia, ad sanguinis missionem recurrendo (arguitur enim tunc plethoram adesse, vel sanguinis acrimoniam adauctam), & deinde paregoricis expellentibus valde temperatis, & moderate sumptis insistendo (ut supra monuimus), atque opiatis, fluxum sanguinis cohibere opus erit. Per hæc etenim medicamenta omnes evacuationes, sudore excepto, compescuntur, quinimmo & ipsa narium hæmorrhagia; simulque eodem tempore cutanea promovetur expulsio. Si vero ratione enormis hæmorrhagiæ variolæ jam eruptæ dissipentur, evanescant, e conspectu se auferant, & febris, ceteraque symptomata pariter abeant, nihil timendum, natura enim morbosam materiam hacce via ejeciisse compertum est.

§. CXLVI.

His peractis, si qua materiæ putridæ suspicio insurgat, veluti, quum post hæmorrhagiam adhuc febris, & alia symptomata perseverare videantur, neque aliæ sequantur evacuationes, hoc in statu opportune iis inhærendum, quibus hoc mali genus profligare receptum est, venæ scilicet sectioni, clysteribus, vel leniter purgantibus, una cum opiatis expellendi virtute præditis vespere sumptis; quæ si non juverint, nihilque attulerint emolumenti, quum incassum naturæ viam, qua se a varioloſæ materiæ molestia expediret, pertentaverimus, actum de ægro erit.

§. CXLVII.

Ex dictis igitur solertiam non modicam, sedulitatemque ad variolarum subigendam (si natura

non

non ſuffecerit), ac expellendam materiam quam maxime requiri patet ; in hoc ſiquidem tota fere curationis ſumma conſiſtit , ſimulque ſagacitas , ars , atque prudentia Medici , qui opitulandi auxilii tempus , modum , menſuram , conſilio etiam ſumpto in arena , opportune diſcernet . Cum ergo in variolis quatuor diſtinctæ periodi conſiderentur (ut jam in principio adnotavi) , ſcilicet febris initium , uſque ad eruptionem ; earum eruptio , uſque ad totalem elevationem , de quibus huc uſque verba fecimus ; remanet nunc maturatio , de qua in ſequentibus ſermonem inſtituam ; poſtremo vero de exſiccatione tractaturus .

MATURATIONIS CURA

§. CXLVIII.

FEbris ſecundaria maturationis tempore adveniens , pura , ac mera febris putrida eſt , & inflammationem præ ſe ferens (ut ſupra non ſemel dictum eſt) , quæ in artis noſtræ opprobrium , & in ægrotantium perniciem ſolet revivilcere ; hæc autem aliter ac prima eruptionis febris erit curanda . In illo enim exordio variolarum febris ſynochus ſimplex ſui generis vocari meretur , in qua liquorem tantum atrabiliarium aliis quandoque impuritatibus in ægrotantium corpore deliteſcentibus ſociatum conſideramus , quem natura glandularum ope , antequam putreſcat , a maſſa ſanguinis ſeparare tentat ; ideoque criſim in cute principaliter molitur , unde variolarum eruptio apparet . At ſecundaria febris non ſolum a materia putreſcente in cutaneis puſtulis producitur , verum etiam tum ab internis puſtulis , cum a copia putreſcentis humoris in maſſa ſanguinis relicta , quæ perfectam ſynochum putridam , ſeu cum putredine conſtituit .

Hæc igitur aliter auferri minime potest, nisi iisdem medicamentis, & eadem methodo, qua febris putrida, & inflammationem producens curari a sapienti Medico debet, clysteribus scilicet, purgationibus, sanguinis missionibus, vesicatoriis, & similibus. Ut autem generalem, facilemque regulam præscribere rite possim, opus est primo febrem considerare; nam si violenta, & immoderata appareat, neque vero a paregoricis, & opiatis, idonea, & modica dosa sumptis, neque a potionibus refrigerantibus, & acidulis, in calida potissimum regione, cito cohibeatur, ad sanguinis missionem in primis est confugiendum, ut quantitas ipsius, una cum portione materiæ crassæ, ac putridæ eodem mixtæ diminuatur; atque etiam intimæ partes sanguinem componentes dimoveantur, ac permutentur. Postea ad blande laxantia medicamenta pluries repetita, vel clysteres, nunquam tamen paregoricis, vel opiatis relictis. Si vero haud violenta fuerit, lenes tantummodo (juxta Rhazem) purgationes instituendæ veniunt, quarum ope materiæ putridæ quantitas detrahitur, atque minuitur. At si post ejectiones symptomata gravia, ut sunt cordis oppressio, respiratio difficilis, vel aliud quid simile, pravum, corruptumque humorem in massa sanguinis latere adhuc, & supereſſe ostendant, tunc iterum sanguinem mitti necesse est; ex his quippe signis, quæ propria, & inseparabilia dicuntur, quod maximam demonstrandi vim habent, atque adeo summopere attendendis, interiores aliquæ partes affectæ phlogosi deprehenduntur.

§. CXLIX.

Hoc maturationis tempore, videlicet post quartam eruptionis diem, usque ad septimam solliciti esse quammaxime, atque omnia diligentissime observare debemus; nam si febris ineunte morbo

incepta poſt quartam adhuc eruptionis diem perduraverit, quum neceſſario a maxima humorum quantitate, & malignitate foveatur, haud dubie judicandum tunc temporis eſt damnum grave a tanta, & tali cauſſa eventurum. Interim non ſolum pulſum, urinam, & alia ſigna obſervare debemus; verum etiam ſedulo, & aſſidue variolas inſpicere, neque vero margines tantum ipſarum, ſed & interſtitia, materiam in puſtulis contentam, atque elevationem. Si igitur variolarum margines rubri fuerit, & cutis interſtitia adhuc rubro colore perfuſa, ſi materiam jam albeſcere incipiet, atque puſtulæ bene elevatæ, ac faſtigiatæ, rebus ita ſe habentibus ex neceſſitate febris etiam, & ſymptomata ſocia evaneſcere debent, dummodo nihil impuri, ac putridi in viſceribus, & maſſa ſanguinis ſiterit retentum, quandoquidem omnia ſigna recenſita naturam, quod ſuum erat, præſtitiſſe oſtendunt. Quando vero febris perſeverat, licet enarrata optima ſigna adſint, credendum, immo pro certo, & indubitato habendum materiam putridam, vel in viſceribus, vel in maſſa ſanguinis latere diffuſam; quumque aliquod neceſſario damnum parere debeat, valde metuendum, ne paulo poſt æger moriatur. Medicamenta §. CXLVIII. notata, etiam huc faciunt.

§. CL.

E contrario, licet febris mitior videatur, ſed variolarum interſtitia, aut ipſarum margines palleſcant, ſeu materia in puſtulis contenta ſeroſa adhuc, vel puſtulæ tunc temporis quodammodo depreſſæ conſpiciantur, ſemper mali ominis eſt, contra quoſdam adſerentes, nihil mali ex hoc ominari; quod ea ſit nimirum ipſius morbi conditio, atque natura; nam ſi hoc verum eſſet, etiam eas, quæ cohærentes dicuntur, & malignæ

ſatis ſunt, depreſſas aſpiceremus; quod tamen nunquam accidit, niſi quando natura ſatis humoris varioloſi, quo puſtularum elevatio perficiatur, continue non expellit, ob rationes alibi aſſignatas; & ex defectu continuatæ expulſionis vitæ periculum ægrotantibus imminere monuimus; quod & Cl. Michael Etmullerus volum. 3. recte his verbis faſſus eſt „ Si vero variolæ erumpentes non „ ſint plenæ, ſeu turgidæ, ſed depreſſæ, & in „ medio ſui habeant quaſi foveam (innuit) de„ ficientem expulſionem variolarum, adeoque la„ tens periculum. „ Licet (dixi) febris mitior videatur, valde tamen timendum eſt de proximo ægrotantis interitu, quia tunc febris re quidem vera mitis non eſt, ſed ſanguis lento admodum motu, & præter naturæ leges fluit, refluitque, refertur quippe putridis, craſſis, atque malignis humoribus, qui ipſum vel quodammodo coagulant, vel detinent, ac remorantur. Agentes quidem ſubſtantias; quæ maſſam ſanguinis pervadunt, vel prope extinctas, vel valde fractas, ac debilitatas, & naturam nimium a maligni, & corrupti humoris pondere oppreſſam, immo viribus deſtitutam, ad expulſionem continuandam, & vitam conſervandam nequaquam ſufficere mihi perſuadeo: „ Nemo quippe cum ſarcinis enatat „ (Seneca). „ Materia ſiquidem in corpore latens omnem viſcerum ſubſtantiam ſubit, inque omnia ſpatia influens, atque inibi ſtagnans lenteſcit, proindeque ita craſſa, iners, & ignava evadit, ut ad cutem ferri, & deponi minime poſſit, niſi forte exigua quædam portio, craſſo illo, & glutinoſo humore nondum imbuta. Quis igitur adeo male ſanus, qui in hac rerum facie expellentibus, præcipitantibus, abſorbentibus, vel aliis ejuſdem farinæ variolis mederi pertentet? Quiſque enim hanc methodum in uſum revocaverit profecto hallucinabitur, ſuamque ipſe expectationem,

nem , fatali ægrotantis eventu , decipiet . Inculcanda igitur ea rurſus mihi videntur medicamenta , & confirmanda , quæ ſubſidium , emolumentumque afferre poterunt , phlebotomia ſcilicet parum copioſa (ſi vires tolerabunt) , & purgantia , quibus liberiorem in natura motum , immo levamen inducere poſſumus , ſi adhuc tamen juvandi tempus fuerit ; qua methodo quidquid craſſum erit , & in ventriculo , aſſidentibuſque partibus diutius , & tenacius inhæſerit , atque inſederit , per has vias facillime ſegregabitur , & exonerabitur . Quod ut conſequi liceat ; ſtatim , nec ulla interpoſita mora venæ ſectionem primo jubebis , deinde clyſterem (remedia ſane efficaciſſima) , vel ſuppoſitorium ex ſapone ; ſive ex melle cum ſale gemmeo paratum applicare , quo prompte putrida valeat craſſitudo expelli , quæ internas corporis partes , atque ſanguinis maſſam labefactat , & pervertit , aliter opportunitatis hiſce momentis neglectis , aut præterlapſis , irreparabilis jactura ex inſperato ferenda eſt . Qua de re ego quidem Medicum hortarer , ne hoc auxilium uſque adeo protrahat , donec ſymptomata illa in conſpectum prodeant , quum fere una , aut altera hora , antequam æger animam agat , ſoleant apparere ; atque adeo opportunis auxiliis ea prævenire multum præſtabit . Quid porro eorum ope profeceris (modo tempeſtive fuerint adhibita) tum demum dignoſcere licebit , quum æger a fœda putridorum , & peſſime olentium excrementorum , quibus opprimebatur , coacervatione exoneratus , tantum exinde levaminis percipiat , ut ad vitam pene revocatus tibi videatur . Fœtor profecto , & graveolentia putredinis ſoboles eſt ; atque adeo Medicus hiſce obſervationibus , veluti quibuſdam *datis* , geometrico more inſtructus , atque fuffultus , adduci in ſpem debet ægrotum in tuto fore collocaturum ; adhærens axiomati illi

trito „ A juvantibus , &c. Quamvis enim æger ante hanc evacuationem aliquando quietus videatur in lecto jacere, & nullum jactatione , & inquietudine inæstuantium humorum signum edere, ubi tamen pulsus omnino naturalis, atque perfectus non appareat, ab interiori humorum coacervatione , & onere, levari oportebit ; relicto siquidem, ac neglecto hoc auxilio, breviter in pulsibus vel inæqualitas apparebit , vel intercalares, aut intermittentes fieri videbimus .

§. CLI.

Ubi morbi exitus anceps videtur , & aliquam præbet suspicionem , tunc prudens Medicus maximam rerum commutationem haud expectare debet , sed eodem temporis momento quid agendum sit determinare ; facta namque mutatione in malum, damnum jam illatum esse censemus . Quapropter dum res in hoc statu sunt, aliquid leviter movere , ac paullatim tentare prudens erit consilium, ut inde rectius, & facilius a juvantibus indicationem sumat , & clare dignoscat . Principiis obsta , ut damna futura præcaveri possint , nam juxta Terentii (*u*) sententiam

Istuc est sapere , non quod ante pedes modo est ,
Videre , sed etiam illa , quæ futura sunt ,
Prospicere .

Neque aliena videntur, quæ edisserit Illustrissimus Comes Franciscus Roncalli , Parolinus in suo erudito opere , Europæ Medicina (*x*) dum de Hungaria tractat , cujus verba hæc sunt „ Si in va-
„ riolis confluentibus aderant certissima sane sum-
„ mæ inflammationis in massa sanguinea latentis
„ indicia , admiror , quomodo in tot remediis non
„ per-

(*u*) Terent. in Adelph. Actu 3.
(*x*) *fol.* 209.

„ pertentata fuerit ſanguinis miſſio, de qua nul-
„ lam video factam mentionem. Quæque ſi fere
„ omnes peribant, potiſſimum in principio utilis
„ eſſe poterat. In hoc ſane magna intercedit in-
„ ter Hungaros, & Britannos diverſitas, qui po-
„ ſtremi venæ ſectionem facili negotio in variolis
„ tam in limine, quam aucto jam morbo inſti-
„ tuunt. &c. „

§. CLII.

Si materia in puſtulis contenta poſt quartum eruptionis diem ſeroſa adhuc ſit, & in verum pus craſſum, & album nondum incipiat permutari, id ſigni ſatis eſt partem craſſam non ſatis expulſam fuiſſe, ſed intus latere. In hoc caſu non aliis medicamentis, præterquam iteratis minuentibus, & laxantibus, vel ſaltem repetitis ſuppoſitoriis, vel clyſteribus matutino tempore adhibendis, dummodo febris, & ſocia ſymptomata venæ ſectionem non indicent, interior putredo eliminabitur; quamquam etiam expellentia paulo efficaciora veſpertino tempore poſſint continuari.

§. CLIII.

Quandoque maturationis tempore, hoc eſt octavo morbi die, ſeu quinto ab eruptione, abſque ulla hæmorrhagia, & abſque ulla diarrhœa variolas retrocedere dicunt, non alia certe ratione, niſi quia parumper palleſcunt margines, & cutis interſtitia, vel quia variolæ ipſæ paullulum deprimuntur, ſive, quod magis eſt, quia parva, vel nulla ſit vultus inflatio, atque momento æger ruit in præceps. Verum enim vero tota horum ratio in eo conſiſtit, quod natura illuc non amplius tranſmittit humorem, quo deficiente, ſicut margines, cutiſque interſtitia irritari deſinunt, ita quoque ruborem amittunt; variolæ vero deprimuntur, tum quia non amplius humorem recipiunt, cum quod receptum

per

per insensibilem evaporationem deperdunt. Hac eadem ratione evanescit inflatio, quamvis hoc frequenter ob præcedentes contingat sudores, & æger ruit in deterius, quia materia morbosa, quæ erat expellenda, præ nimia copia naturam opprimit. Adest & alia ratio; interdum enim copiosæ in visceribus erumpunt pustulæ, quarum putredinis aliqua pars a venis absorpta talem, tantamque modo rarefactionem, modo condensationem, sive alium quemlibet, qui præter naturam est, motum in massa sanguinis inducit, quo febris denuo producatur, si non aderat, vel ingravescat, si adsit; quæ humorum fervens agitatio bene a Galeno explicatur in libro, de eis, quos purgare oportet, & etiam VIII de composit. secundum locos; sicuti etiam bene a Manardo (y), & ab Hercule de Saxonia (z). Tot igitur, tantisque molestiis, & calamitatibus vexatus æger, atque jactatus, ut mori se sentiat, modo pronus, modo supinus, modo extensus, modo contractus jacet; demum coactus est e lecto surgere (ut diffuse in maturationis theoria sub §. XCVIII. scripsimus), quo aliquod invenire possit levamen: Surgit tandem, & postea brevi in agonem incidit, & moritur. Hic rursum obstrepunt quidam, ex marginis, interstitiumque pallore caussam dedisse morti ambientem aerem clamantes; sed hi, cum vulgo, pessimo veritatis interprete, damni caussam nequaquam intelligunt. Nihil aliud enim est e lecto surgere, nisi vehementis æstus effectus ab humoris maligni copia coacervati intus, atque obruentis producti, quo æger quasi delirus, vel vere delirus, & impatiens lectum maxima cum violentia ideo deserit, ut ad suffocantem calorem temperandum quærat remedium, & levandas, quas patitur, angustias, atque oppressiones, ut melius respirare valeat. Moritur interim, & tota mortis caussa,

(y) Libr. 13. epistol. (z) Libr. 8. de febrib.

cauſſa, ob fallaciam in judicando, in extrinſecus ambientem aerem refunditur: Quod ſi qui medicinam minime callent ſoli factitarent, libenter reticerem, quod in Portii Hippocrate (*a*) legimus. „ Novi autem Medicos nonnullos, veluti idiotas, „ qui ubi homines ſine illorum conſilio aliquid fe„ ciſſent, ut ſi laviſſent, vel deambulaſſent, aut „ aliquid comediſſent, & bibiſſent, & fortaſſis hæc „ melius fuiſſet adhibuiſſe, quam non, nihilominus „ cauſſam ſive ægritudinis, ſive exacerbationis ali„ cui ex his tribuebant, veram quidem cauſſam „ ignorantes, & fortaſſis id, quod commodiſſimum „ fuerat damnantes. „

§. CLIV.

Statim ac igitur prudens Medicus humorum fervorem, inquietudines, anguſtias, cordis oppreſſionem, & quaſi ſuffocationem, febre interim ingraveſcente deprehendit, ſtatim (inquam.), & nulla interpoſita mora, antequam æger in extrema conſtituatur anguſtia, & gangræna, vel ſphacelus in viſceribus efficiatur, ſanguinis miſſionem, ac etiam clyſteres imperare debet, atque eorum vice, ſi ad manus non ſunt, ſaltem ſuppoſitorio ex ſapone parato utendum; diminuta enim harum evacuationum ope copia materiæ putridæ, & prope cadaveroſæ, minuuntur quoque, & corriguntur ſymptomata, & validæ illæ moleſtiæ ab interiori materia excitatæ: Palam eſt ægrum eodem momento maximum perſentire levamen; quietus etenim deget, neque amplius lecto ſurgere contendet; nec variolæ (ut ridiculum credit vulgus) retro cedent; puſtularum quoque margines, ſi quem deperderint, colorem rubrum iterum acquirent; & natura demum a ſarcina ſublevata, aptum, ordinatumque cur-

(*a*) Lucas Antonius Portius in lib. de Priſc. Medicin. Hipp. Paraphr. p. m. 97.

curſum facile continuabit. Quod nunc ſcribo, jam antea docuerat egregie Sydenhamius, dum de febre putrida variolis ſuperveniente in hunc modum verba faceret (*b*) „ Quamobrem ea ſola in remediis huic malo cedere poſſe prudens quiſpiam „ exiſtimaverit, quæ ad retundenda ſecundariam „ hanc febrem, quam putridam appello, maxime „ faciunt. Id vero nihil efficacius præſtat, quam „ copioſa ſanguinis eductio, quo pacto vitiatæ illæ „ particulæ, quæ morbi ſunt fomes, confertim a „ ſanguine exulant: Neque huic praxi, ſi quid ego „ judico, variolæ in quo jam ſunt ſtatu vel minimum intercedunt: Jam enim puſtulæ nullo modo introrſum agi poſſunt; adeo ut ſi æger morbi tempore fatis cederet, & cadaver in terram „ frigidam exponeretur, attamen puſtulæ jam in „ duritiem incruſtatæ, nec intra cutim ſe recipere, nec minimam molis ſuæ partem amittere „ poterint ..... Nec ſane cum variolis jam nobis „ res eſt, ſed cum alio prorſus morbo, nempe febre putrida. Has ob cauſſas ſequente methodo „ mihi comperta feliciter uſus ſum; quam ſi omittas, nec aliam video, nec conjectura aſſequi poſſum, quo pacto æger ita certo queat liberari. „ Hæc vero methodus, mittendi nempe ſanguinem in variolis, antiquitus comperta fuit ab Arabibus, ſcilicet Rhaze, Aviçenna, Alſaravio, & ceteris; immo etiam a noſtris Europæis, ut Gometio, Pereyra, Hollerio, Paræo, Botallo, Mercato, Diomede Amico, Horſtio, Joſepho de Medicis, Zacuto Luſitano, Augenio, Heurnio, Bartholino, Mayernio, Riverio, Mortono, aliiſque plurimis; & ſemper opportuno tempore celebrata, & proportionata quantitate juvamen maximum variolantibus attulit. Sed nec omittenda, quæ eodem citato loco, & pagina Sydenhamius obſervat „ Cum

„ vero

(*b*) P. m. 377.

„ vero ſub ultimis morbi diebus haud raro accidat,
„ ægri alvum, partim a morbi natura, partim a
„ magna paregoricorum vi, quorum opem plane
„ depoſcebat morbi ratio, ita conſtipàtum eſſe, ut
„ tum fere ſuffocetur ille, tum febris ad eum gra-
„ dum aſcenderit, ut jam de ægro conclamatum
„ videatur, duro huic nodo durus cuneus aptandus
„ eſt, & rebus ſic ſtantibus longe minus ægro pe-
„ riculi erit ab aſſumpto cathartico leniente, quam
„ a febre eo vehementiæ ab alvinarum fæcum re-
„ tentione profecta. Sicut nec etiam de cathartici propinatione dubitarunt Horatius Augenius, Diomedes Amicus, Hoffmannus, atque alii.

§. CLV.

Præcipue vero id in memoriam revocandum, naturam nimirum ipſam quammaxime ad humorum expulſionem niti, atque ægro vires addere, & præterea Medico prompte in ipſorum ingenti æſtu medicamentum purgans præbenti optime favere.

§. CLVI.

Neque vero ſapiens, prudenſque Medicus aures vulgo præbere debet dicenti, ex hujuſmodi detractionibus varioloſæ materiæ retroceſſum valde eſſe timendum (ut abunde ſuperius diximus); nam materia extra vaſa continetur, alienata ſcilicet a maſſa ſanguinis, id eſt intra cutem, & cuticulam, ut metipſæ puſtulæ oſtendunt, in quibus craſſeſcit, atque ſpiſſatur; quare neque clyſteribus, neque purgantibus, neque ſanguinis miſſione fieri poteſt, ut amplius hujuſmodi craſſus, denſuſque humor retrorſum eat, utpote e vaſculis jam effuſus, & a maſſa, & gyro ſanguinis abalienatus. Fabuloſum igitur eſt retrogradum illud iter, & vanus evacuandi per purgativa medicamenta metus, vel mulierculis, & idiotis deſpiciendus.

§. CLVII.

§. CLVII.

Variolæ igitur ad maturationem perductæ munus ſuum adimpleverunt; ideoque remotæ, & valde diſſitæ cenſentur a præſenti curationis ſcopo. Agitur quippe hic de febre ſecundaria, quæ ſuapte natura febris eſt putrida, & inflammationem producens, ut dicere ſolemus, a corruptorum humorum intus latentium colluvie exorta, quam nunc conſiderare, ac diligenter contemplare debemus. Hæc eſt fovea, quæ ante pedes eſt, ad quam mentis oculos conjicere providum; aliter in ipſam incidere pudor, & opprobrium eſſet. Ad hoc vitandum multum conducunt ſcriptores, & præcipue Angli, quos in ſuis ægrotantium hiſtoriis nihil intentatum reliquiſſe videmus; & modo una arte, & methodo, modo alia, atque alia quæritaſſe, ut ægrotantibus valerent ſanitatem reddere. Hoc pacto reſerantur Medicorum oculi, ut alienis ſaltem laboribus ſapere aliquando poſſint, & facili negotio addiſcant, qua ratione, & via, quibuſque præſidiis recte, atque ſalubriter hujuſmodi curatio ſit inſtituenda, præcipue ſi qui medicinam faciunt docile habeant ingenium, & ab infauſta methodo declinare cupiant. Fateor quidem me ſexcentos hujus generis ægrotantes habuiſſe curandos, dum Viennæ Auſtriæ (ubi ſane optimi habentur Medici) medicinam exercebam, quibus clyſteribus, ſuppoſitoriis, laxantibus, veſicatoriis, & miſſione ſanguinis maturationis tempore juvi: Iis vero, in quibus phrenitis cum adaucta febre apparebat, vel alia ſigna ejuſdem notæ, non ſolum ſanguinem detrahere non dubitavi, verum etiam cucurbitulas ſcarificatas, hirudines, & veſicatoria applicui, quibus auxiliis, nullo pene interjecto ſpatio levamen non leve obtigit. Sanguis quidem extractus, poſt congelationem pluries gelatinoſam pelliculam albam, vel flavo-virideſcentem in ſuperficie demonſtravit,

cruor

cruor vero ſub gelatinoſa cruſta deliteſcens nullam concretionem, aut craſſitudinem ſæpenumero habebat, ſed liquidus erat, niger, atque corruptæ denſitatis videbatur.

§. CLVIII.

Quum quandoque gargariſmata, apophlegmatiſmi, potiones diluentium, etiam largæ, quin & ſpiritus vitrioli ad aliquas guttulas in aqua pro ordinario potu mixtas inutilia fuerint reperta ad ſalivationem denuo promovendam, ſi ſponte defecerit, tumentibus, vel non, facies, & manibus, cito, & abſque ulla temporis jactura, præcipue quando faciei tumor collabeſcit, ex nimia in viſceribus morboſæ materiæ ſpiſſitudine, & denſitate, idonea alia evacuandi media, alia etiam ex parte, ſalivationis loco tentanda ſunt. Convenientiſſima enim, & in praxi valde accommodata in iſto caſu, ac etiam in ſecundaria maturationis febre habentur, præſertim ubi alvi adſit durities. Dixi cito, nam cunctando cumulum in viſceribus putridorum humorum jam corruptorum relinquimus, qui momento temporis talem, tantamque putredinem, fœtoremque redolent, ut brevi ægrotantis corpus ad corruptionem trahant. Quod autem largæ potiones conveniant, id quidem confirmari video ex eo, quod mihi nuper relatum fuit, videlicet, Celeberrimum Richardum Mead natione Anglum in variolarum cura magnam aquæ copiam infirmis præcipere, quæ methodus in præſenti maturationis tempore, & etiam in ſalivationis defectu & multum laudabilis eſt, & abſque hæſitatione ſequenda; copioſa enim aquæ potio viſcera diluit, alvum laxat, orgaſmum ſanguinis temperat, omnem (uno verbo) paginam adimplet.

§. CLIX.

Adde etiam, quod in variolis cohærentibus, &

con-

confluentibus non ſolum facies, manus & pedes in magnam intumeſcunt molem, verum etiam & ſcrotum, & præputium in maſculis, & tunc ſalivatio copioſe, & ordinate profluit, quæ ad initium uſque exſiccationis variolarum ſervari ſolet; hoc eſt poſt undecimam ab eruptione diem, quo tempore brevi etiam intervallo detumeſcunt. Quamquam vero hoc modo res ſecundum votum evenire videatur, æger tamen a vitæ diſcrimine minime erit immunis: Paſſim etenim obſervatum fuit inopinato aliquos ultimum obiiſſe diem poſt continuatam, ac ordinatam ſalivationem. Statuendum ergo eſt, ſalivationem haud ſemper eſſe ſatis; & ad ægrum conſervandum aliis uti remediis oportere evacuantibus ſcilicet, & diminuentibus, qui morbi reliquias tollant; quod & Arabes, & Europæos magno ægrotantium emolumento præſtitiſſe non ſemel monuimus; & quamvis plurimi media ſalivatione ab imminenti vitæ periculo liberi fiant, attamen non omnes exſiccatis variolis convaleſcunt. Quandoquidem (& hoc plus quam ſemel diximus), qui variolis confluentibus laborant, eo præcipue urgentur diſcrimine, quod ſaliva his ultimis diebus magis glutinoſa evadens, fauces præcludat, cui quidem ſymptomati hoc in caſu, ſi propria, atque idonea gargariſmata, tum & diluentia non conducant, purgantia præſcripta, vel ſpontanea diarrhœa ſuccurret, quæ item niſi ſponte deſinat, rhabarbaro, & clyſteribus, vel lacte, & aqua mixtis pro potu, & narcoticis aſſumptis facile juxta Sydenhamii methodum compeſcetur.

§. CLX.

Quod vero attinet ad urinæ impedimentum, quod fere ſemper maturationis, vel exſiccationis tempore, etiam in diſcretis exoriri ſolet, ubi lotium ſæpe ſpatio viginti quatuor horarum, aut plus non depo-

deponitur, poſtea per ſe, & ſponte, ſi febris non adſit, parva deambulatione iterum urinæ defluent; at ubi perſeveret diureticis blandis, & copioſe hauſtis diluentibus ex infuſo florum malvæ arboreæ ad tincturæ extractionem, vel alkekengi, radicis graminis, & ſimilibus ad acrimoniam diluendam eſt utendum. Sydenhamius vero, ut hujus generis ægrotantes curaret, lecto eos ſurgere permiſit, qui bis, vel ter cubiculum obambulantes, urinam ſat copioſam reddiderunt, licet antea nullum diureticum ſumpſiſſent medicamentum.

§. CLXI.

Sæpe epidemiæ tempore alia prava erumpunt exanthemata, diſtinctum epidemiæ characterem præ ſe ferentia; quorum acceſſione variolæ, jam ſe valde malignæ, toram fere ſpem de ægrotantium ſalutione rapere videntur. Hoc in caſu bezoartica, alexipharmaca, & hujus generis alia medicamenta optima cenſentur, præcipue temperata, & quando morbi initio, hoc eſt ante variolarum eruptionem alvus ſatis laxata fuerit, & ſanguis miſſus; quum enim ob præcedentes evacuationes, & ſubſequentia alexipharmaca, nec non alia, quæ a morbomet indicantur auxilia, materia prava educatur, ut ſuperius expoſuimus, non tantum aliqua de futura valetudine ſpes aderit, ſed, experientia docente, etiam a morbo tam gravi hac metodo liberantur. Si vero anteà neque miſſio ſanguinis, neque evacuantia ſint adhibita, neque ſpontanea diarrhœa advenerit, ſtatim ad eadem confugiendum, additis etiam veſicatoriis, hirudinibus, & ſimilibus, prout indicia, & neceſſitas poſtulaverint. Juvat enim hoc epidemiæ tempore omnia potius tentare, quam ægrum omni ſpe deſtitutum perire. Hippocrates.

§. CLXII.

Quando vero variolis alii copulantur morbi, ad illum præcipue convertendus eſt animus, qui magis urget; & ægrotanti interim iis præſidiis, ſuccurrendum, quæ ceteris morbis ſunt congruentia, addendo etiam ea medicamenta, quæ pro variolis opportuna cenſentur.

§. CLXIII.

Ex ſuperius dictis habes jam duo comperta *data* quibus poteris, ſine dubitatione, auxilii quantitatem, tempus, atque modum ad perfectam curationem invenire. Primum *datum* eſt, quod in omnibus malignis vel epidemicis variolis ſemper humoris pravi, & putridi eruptionis tempore a ſanguine ſeparati magna pars in viſceribus remanet; viſcera quippe omnia variolarum puſtulis (ex obſervationibus ſuperius allatis) referta ſunt. Secundum *datum* eſt quod ſanguis ipſe ejuſdem materiæ putridæ, ac inflammandi vi præditæ in viſceribus relictæ, mediis venis partem aliquam rurſus abſorbet; qua de cauſſa febris ſecundaria in conſpectum prodit, una cum omnibus malignis, & pravis illis ſymptomatibus, a quibus fatalem eventum timere debemus. Cardo igitur hujus curationis in iſtis duobus evacuandi modis, phlebotomia ſcilicet, atque purgantibus omnino vertitur; ubi vero uter vel ambo magis conveniant, clare ſuperius ſigna, & conjecturas dedimus, tum in theoria, cum etiam in praxi, ſive methodo curandi. Has evacuandi rationes pulchre omnes Arabes, & poſtea plurimi Europæi neceſſarias cognoverunt; ideoque uſi ſunt ſanguinis miſſionibus, cucurbitulis ſcarificatis, hirudinibus, quibus ſanguinis orgaſmum compeſcere, & quantitatem minuere potuiſſent, ut ipſe liberius poſtea per vaſa etiam minima circuitum peragens, ſeparationes impuritatum, quibus erat implicitus efficere,

ſuasque demum partes obire perfecte valeret. Eodem modo etiam ab iisdem Arabis alvi ejectiones tentatæ fuerunt cum aqua fructuum laxandi vi prædita, forſan ex tamarindis, & ſimilibus facta, cujus formula in libro 3 Antidotarii Meſues legitur. Poſtea vero & Europæi minuentibus purgativis, clyſteribus, ſuppoſitoriis, vel prunis dulcibus cum foliis ſennæ orientalis mundatis incoctis, & in quantitate parva, una cum ipſorum juſculo ſumptis, ut alvus bis, vel ter de die deſcenderet, maximo ægrotantium levamine, & emolumento uſi ſunt. His igitur prudenter conſideratis in hac tam prava, ac maligna affectione, & ægrotantium ſanitati, & medicinæ decori proſpicies.

EXSICCATIONIS CURA.

§. CLXIV.

SUpereſt nunc, ut paucis de ultimo variolarum tempore ſermonem faciamus, quod ab undecima eruptionis die, vel decima quarta ab initio febris, uſque ad vigeſimam quartam numerari debet, & forte etiam ultra. Pluries ego in decima quarta, vel decima ſeptima die novam albarum exanthematum valde parvorum, ad formam millii, eruptionem vidi, quæ tametſi ex ſe minime lethalia aliquando evaſerunt, ob reſiduum ſcilicet materiæ putridæ viſceribus adhuc hærens, ſeu ob quantitatem fæcum in inteſtinis detentam, & nulla arte expulſam. Ubi enim vel clyſteres appliciti, vel laxantia, & diminuentia fuere propinata, aut non apparuerunt, aut media ejectione cum ægrotantis levamine ſtatim evanuerunt.

§. CLXV.

Hic animadvertendum est, quod Josephus de Medicis Cretensis (*c*) scripsit, Nunquam esse sub variolarum exitum fidendum febris remissioni; strenue autem debere pugnare Medicum, & omni conatu curare, ut reliquum putredinis, & cacochymiæ per varias, vias, maxime per venæ sectionem, & lenem purgationem totaliter e corpore educat, atque extrudat. Et si etiam aliquoties hoc auxilii genus natura ipsa, si valida sit, ope diarrhœæ pertentet, nullo tamen modo illi debet Medicus rem tptam relinquere, verum diminuentibus, & præcipue rhabarbarinis auxilium præbere; quapropter ubi morbus inclinaverit, atque pustulæ exaruerint, quæ ventrem leniter ducunt suadenda. Et si fluxus supervenerit ob superstitem materiam (quam, quum per cutim expellere minime potuit, per alvum natura emittere tentat), hunc naturæ conatum, seu crisim, a prudenti Medico rhabarbaro, aliisque id genus remediis juvandum esse monuit Marcellus Donatus Mantuanus, cum eorum irrisione, qui in fluxibus alvi nunquam solutione ventris utendum esse contendunt.

§. CLXVI.

In isto ultimo variolarum tempore, sive stadio, judicio, & conjectura assequi debemus, quid a residua materia in visceribus relicta effici possit; quandoquidem quum ea in hoc statu, non alia, quam inertiæ vi prædita censeri debeat; quid inde secundum Statices leges colligi, & confici liceat, quisque facile videt; semper enim in illo statu, in quo semel est collocata, aut deposita, persistet. Hujus materiæ præcipue massam sanguinis esse participem oculis ipsi cernimus ex ejusdem

(*c*) Joseph de Medicis Cretensis a Freinde relatus. p. m. 130.

dem miſſione, ſaltem in malignis hoc tempore neceſſaria, ubi ſanguis extractus in ſuperficie flava, viridi, atque variegata cruſta, ut in rheumatica affectione laborantibus, obductus conſpicitur; unde & cujus indolis materia eſſet, & damnum quod parere potuiſſet, vel autopſia demonſtrat.

§. CLXVII.

Ceterum omnibus his diebus; a decima quarta ſcilicet febris die, uſque ad vigeſimam quartam, & ultra, more Arabum, aliam aquam fructuum laxandi vi præditam præſcripſi, quemadmodum in §. CLXIII. quotidie ab ægroto ſumendam; quæ nimirum prunis in aqua communi coctis, & foliis ſennæ orientalis a ſtipitibus mundatis, additis aliquot aniſorum ſeminibus confecta erat; non ſolum vero pruna nonnulla cocta, verum etiam aquæ, in qua cocta fuerunt uncias binas ægrotanti exhibebam, qua methodo bis, vel ter ſingulis diebus fluebat alvus, & tunc ocularis etiam inſpectio non ſolum majus robur, & coloris aſpectum meliorem, vividioremque, verum etiam carnes partim a qualitate; & quantitate morbi, partim a diæta deperditas; & conſumptas, ægrotantes acquiſiviſſe monſtravit. Poſt variolarum quidem exſiccationem purgantibus reliquias morbi amovere neceſſum eſt; quibus relictis facile morbus alius alio ſuccedit, & quidem alius alio plerumque pejor.

§. CLXVIII.

Ab undecima eruptionis die, quando poſtulæ exareſcere incipiunt, plurima ad ipſarum foſſulas, ſeu veſtigia vitanda pharmaca adhiberi ſolent. Libet hic vel unum deſcribere, quo non ſine fructu, atque emolumento uti conſuevi; nimirum in prima exſiccationis die nodulum parabam ex ſale

communi contuſo, quo in qua florum fabarum diſtillata intincto, faciei puſtulas madefaciebam, ſic erodentem puſtularum acrimoniam corrigens, atque promptam illarum exſiccationem promovens deformitatem removebam.

§. CLXIX.

Curatis omni ex parte quidem variolis, & mundata cute a cruſtis ſed omiſſa purgantium repetitione, & venæ ſectione, quamvis nihil amplius timendum videatur, novi tamen (quod ſane nunquam ſatis monitum cenſeo) adveniunt morbi a reliquiis materiæ putridæ in maſſa ſanguinis, & viſceribus jacentibus. Plures phthiſicos, plures atrophicos obſervavi ; aliquos pulmonum vomica affectos, ſcrophulis alios, & ſcorbuto. Horum curationem feliciter peragere mihi datum eſt, præter ſpecifica pro unoquoque morbo, totis viribus incumbendo ad expellendas minuentibus purgantibus, & venæ ſectionibus materiæ variolosæ reliquias ; quamdiu enim infixæ pertinaciter in aliqua corporis parte hærent, omnium morborum, ſi non inanem, difficillimam ſaltem, diutinamque curationem efficiunt. Ratio hoc quoque ſuadet ; vanum enim eſſet effectus tollere velle integra adhuc remanente cauſſa, quare (neſcio an juris conſultorum effato locus ſit habendus) Melius eſt intactam rem ſervare, quam, vulnerata cauſſa remedium quærere. Ad rem intactam ſervandam vide quid dixi in principio hujus paragraphi.

EPILOGUS.

§. CLXX.

IN variolis cohærentibus, confluentibus, anomalis, ſive quovis alio charactere, vel ratione ma-

malignis, exploratum eſt naturam ex ſe minime eſſe capacem totam materiæ varioloſæ quantitatem expellendi, licet hæmorrhagias, diarrhœas, vel alia evacuandi media tentaverit. Neceſſario igitur portio quædam in maſſa ſanguinis, vel viſceribus remanere debet, licet feliciter variolæ erumpant, eleventur, matureſcant, & exſiccentur; quæ portio novos morbos gignere valet, vel ſaltem ita fractam ægrotantis ſanitatem reddere, ut non pauca damna deinceps ſuſtinere cogatur. Ideo peracta demum maturatione, vel in principio exſiccationis repetitis purgantibus corpus a ſordibus abſtergere neceſſe eſt.

§. CLXXI.

Nequæ in febris initio negligenda eſt venæ ſectio, quæ non tantum futuras narium hæmorrhagias avertit, verum etiam ſanguinis orgaſmum compeſcit, unde natura meliorem, ac pacatiorem ſuam criſim peragere valet; præcipue quando febris ſatis aucta apparet. At ſi adhuc durante febre eruptio ſtato tempore non incipiat, ſtatim ad purgantia, & clyſteres confugito, quorum ope natura liberius ſuum curſum peragit, & copiam maligni humoris facilius extrudit.

§. CLXXII.

Si igitur variolæ fuerint nigræ, lividæ, vel fuſci coloris, vel verrucoſæ, & purulenta materia intus carentes, ſive quovis alio pravo charactere inſignitæ, ſi inquam, venæ ſectione, cucurbitulis ſcarificatis, veſicantibus, prout morbus ipſe exigit, atque indicatio, vel ſuppoſitoriis, clyſteribus vel levibus catharticis minuentibus quotidie mane exhibitis, quo ſaltem unoquoque die laxata alvus bis, terve fluat, veſpertino vero tempore paregoricis, & opiatis non medeantur, ſcito nullam aliam meliorem ſtatui poſſe methodum, omnia quantumvis

arcana a medicastris, & circumforaneis decantata elegeris, atque adhibueris.

§. CLXXIII.

Maturationis tempore, febre iterum apparente, ægrotans ea methodo erit curandus, quam in putridis, atque inflammandi vim habentibus febribus optimi practici adhibere solent; nisi unica variolarum contemplatione hallucinatis ægrotos pessumdare velimus.

§. CLXXIV.

Numerus, & magnitudo variolarum, vel confluentium, vel epidemicarum, humorum copiam; ipsarum color maturationis tempore adveniens, qualitatem demonstrat. Qua methodo hujusmodi variolæ mederi debeant, supra jam dictum est. Atque hæc quidem sunt fere omnia, quæ ad tanti morbi cognitionem, & curationem necessaria ipse judicavi, & quæ medicus industrius observare; & experiri opportuno tempore debet, ut ægrotantibus, quos regendos sumpsit, auxilium præstare possit utile, efficax, atque conveniens.

DE MORBILLIS.

DE

MORBILLIS.

DE MORBILLIS.

§. I.

ABSOLUTA, quoad ejus fieri potuit, variolarum tractatione, congruens sane, nec ab re alienum visum est etiam de morbillis sermonem instituere. Gentis Arabicæ Medicos fuisse primos, qui de morbillis verba fecerint, supra de variolis agentes jam diximus. Hi vero non solum pueros, verum & adultos, nec non in ætate virili constitutos aggredi solent.

§. II.

Est qui putat (*a*) morbillos sic vocari ob eumdem ad pestem respectum: Morbus enim antiquitus pestem significabat; ideo morbilli levem pestem significant; & quidem illa humorum agitatio, & perturbatio, enormes illæ sive sursum, sive deorsum, sive utrimque simul ejectiones in morbillorum

(*a*) Ludovic. Mercatus de pueror. morb. lib. 2. Cap. 22.

rum febre quandoque excitatæ malignitatem oſtendunt. Sane Rhazes illos pro peſte habuit.

§. III.

Joannes Manardus (*b*) credidit morbillos a Galeno (*c*) exanthematum nomine fuiſſe deſignatos. Idem etiam de Hippocrate dicit, maxime, quia in primo Epidemiorum, & alibi ſenex hic ſcripſit, multos pueros morbo interiiſſe morſibus pulicum quamſimillimo; quod morbillorum formæ optime quadrat: Eodem modo Ætius. Avicenna morbillos variolas cholericas eſſe credidit.

§. IV.

Morbilli maculæ ſunt rubræ, primo in facie, & collo, poſtea per totam corporis peripheriam eruptæ; quæ nullam habent elevationem, neque ſuppurant, & plerumque intra novem, vel undecim dies evaneſcere ſolent. Morbilli igitur ſunt maculæ parvæ, rubræ in cute erumpentes, cum febre continua, æque ac ſynochus ſimplex (febris vulgo inflammatoria appellata), æquali, & plana cuticulæ ſuperficie, levi ad tactum calore perfuſa floreſcentes, quæ in morbi declinatione cuticulam excedentes, ad inſtar ſquammarum decidunt.

§. V.

Cauſſa interna, quæ morbillos producit eadem eſt, ac illa, quæ variolas gignere diximus; attamen non tantam, ut in variolis, liquoris atrabiliarii copiam ſanguini immiſceri autumo; nec tantam aliorum pravorum humorum colluviem utplurimum præ ſe ferre; licet quandoque malignores quam variolæ eſſe ſoleant, citiuſque jugulent. Ceterum ex cauſſa variolas producente facile argues quo-

(*b*) Lib. 7. ſuarum epiſtol. Epiſt. 2.
(*c*) De morb. curand. Cap. II.

quomodo & morbillorum productio fiat. Et eodem loco, ubi de variolarum cauſſa locuti ſumus, ibi omnes circumſtantias, quæ etiam morbillis copulari ſolent, & quomodo iſti inter ſe diſcriminari poſſint, reperies.

§. VI.

Morbilli differunt a variolis ſecundum magis, & minus, quum ab eadem cauſſa producantur. Primo ægrotans horripilatione concutitur, mox ſequitur febris acuta quidem, & continua, cum tendinum ſubſultibus, delirio, vigiliis, aliquando comate, ſternutatione frequenti, oculorum rubore, & lacrymatione, moleſtia lucem ſuſtinendi, dolorosa corporis laſſitudine, & præcipue lumborum, puncturis per totum corpus dolorem adferentibus, ac ſi acu leviter pungeretur, urina pallida, & ſubtili, inappetentia, quandoque nauſea, ac vomitu, voce clangoſa, aurium, & narium pruritu, capitis gravedine dolorosa; aliquando etiam ferina tuſſi, cum gutturis, & faucium inflammatione, cordis violenta oppreſſione, & reſpiratione difficili; quo tempore diſtincta macularum eruptio apparet. In eo vero a ſcarlatina, ſeu purpurea febre differunt, quod hæc maculas, non quæ pulicum morſibus adſimilentur, ſed quemdam quaſi continuatum cutis ruborem referat.

§. VII.

Liquor ille atrabiliarius, a quo etiam variolæ producuntur, aliis cacheticis, & cacochymis humoribus in maſſa ſanguinis exiſtentibus mixtus, a natura, ope ſeparationis a glandulis milliaribus factæ, ad cutem tranſmittitur, qui liquor propria, qua pollet, indole, & acrimonia, cutis fibrillas irritando, & criſpando ſtagnat, inflammationemque maculis planis, ac rubris interpunctis gignit; &

primo

primo puncturis, postea vero pruritu molestiam excitat.

§. VIII.

Neque alius est liquor in humana machina existens, qui magis massam sanguinis agitare, colliquare, & in acrimoniam convertere possit, quam atrabiliarius, quodammodo ad veneni naturam accedens.

§. IX.

Primus ergo morbillorum eruptionis locus facies, & collum; attamen intra paucas horas (ut ita dicam) totum est corpus, dummodo illorum eruptio bene, naturaliter, & cum ordine procedat; & maculæ rotundæ, rubræ, morsuum pulicum recenter factorum colorem, ac formam exhibeant.

§. X.

Regularis morbillorum eruptio a tertio febris die incipere solet; apparent enim tunc aliquæ maculæ rubræ in facie, & collo, & postea brachiis, manibus, atque per totum corpus ita erumpunt, ut perfecta, ac tota ipsorum expulsio brevi temporis spatio absolvatur. Hujusmodi eruptio cum mediocri, & temperata febre, & paucis, vel nullis sociata symptomatibus, boni ominis est; ostendit quidem bonæ indolis, ac benignam hujus morbi causam esse. Verum si ex pulsuum magna perturbatione, vel ex aliquo alio hujuscemodi signo febris valde aucta, & impetuosa, ut Arabes loquuntur, se prodit, tunc ex sanguinis agitatione, & perturbatione nimia, eruptio nequaquam benigna, & critica, sed potius syptomatica, seu (ut Antiqui, & etiam Recentiores notarunt) exitiosa erit.

§. XI.

Morbilli alii sunt benigni, alii maligni. Benigni di-

dicuntur, qui ſporadice, abſque ullo prævio contagio, vel epidemia, & a minori liquoris atrabiliarii portione, atque ipſius mitiore indole producti, ſine ulla pravorum humorum aggregatione cito intra triduum integre erumpunt, febremque proſcribunt; valida in hoc caſu natura cenſetur, dum tam cito morboſam materiam extra corporis peripheriam pellit, ſuamque criſim adeo perfecte operatur, ut & pulſus vegetus, naturaliſque ſit, & maculæ vividum colorem ad diem uſque nonam ſervent; qua tranſacta difflari, & una cum ægrotantis moleſtia ordinatim evaneſcere incipiant. Et hæc quidem ſunt, quæ in morbillis deſiderantur, ut benignos eſſe dicere poſſimus.

§. XII.

Neque timendum erit ſi in primo febris die delirium, coma, vel tendinum ſubſultus, & ſimilia appareant, tunc enim ſymptomata iſta, ſi moderata ſint, neque diu durent, non vitæ periculum portendunt, ſed potius futuram criſim, morbillorum ſcilicet eruptionem, qua perfecte abſoluta, abibunt: Oſcillatio enim, quam eo tempore fibræ patiuntur vividiorem, ita morbillorum materiam in maſſa ſanguinis contentam agitando, & impellendo urget, ut promptius ad vaſa ſecernentia deferatur, ac eodem motu, & impulſu per ipſorum excretoria ſeparetur, & alienetur. In eruptione etiam involuntariæ lacrymæ ſæpe adveniunt, quæ abundantiores potius, acrioreſque ſunt, quam in variolarum principio, a faciliori acrimoniæ in ſanguine jacentis ſeparatione productæ, & a preſſura fibrarum ſe ſpaſmodice ſtringentium expreſſæ.

§. XIII.

Attendenda tamen eſt cujuſque ægrotantis diſpoſitio; interdum enim ex humoribus pravis cacochymis, & cachecticis, ſive alia mala qualitate præ-

præditis, quibus antea ægroti machina referta jam erat, & quibus liquor atrabiliarius fuit poſtea imbutus, morbilli, licet ſporadici, maligni evadunt. Raro vero, & fere nunquam tantæ malignitatis, virulentiæ, & ferociæ erunt, ut ii quibus miaſma epidemicum, venenatum, ac malignum acceſſerit, a quo ſtagnationes fluidorum plus æquo producuntur, & conſervantur.

§. XIV.

Maligni item ſunt, qui per contagium epidemico tempore diſſeminantur; quia ſemper miaſma venenatum, a quo epidemia inſurgit, præ ſe ferunt: Effluvia enim illa contagioſa liquori atrabiliario inlata ipſos malignos, ac peſtiferos (ut cum Rhaze loquar) conſtituunt. Hinc febris magna, cui fere omnia prava ſymptomata jam recenſita copulantur, ita ut morbillorum hujuſcemodi ferocitati omnis ſynochus putrida, omnis maligna febris cedere debeat: Immo nec tam atrox eſt ipſa petechialis febris, quamvis ut hæc ſpem ſalutis relinquat, ſerius, quam morbilli debet eruptionem conficere. Hanc morbillorum malignitatem demonſtrare voluit, qui (*d*) eos in duo genera diviſit; alterum, in quo per minimas puſtulas cutis aſpera redditur, ac rubeſcit, & leviter quodammodo corroditur; alterum vero, quod ſævum, ac ferum eſt, in quo hæc omnia aſperiora, & graviora fiunt.

§. XV.

Solet aliquando morbillorum epidemica conſtitutio ita graſſari, ut funeſta fere omnibus ægrotantibus evadat, dum febris initio morbillis angina, peripneumonia, & ſimiles copulantur morbi, quia a maxima materiæ morboſæ acrimonia glandulæ in larynge, pharynge, vel in pulmonibus exiſtentes

(*d*) Cornel. Celſus in fine libr. 5.

tes exulcerantur; qua de re non tantum tuſſis ferina, difficilis deglutitio, pectoris dolor lancinans, ſanguinis ſputum, anhelitus, ſuffocatio, & gutturis ſtrangulatio, verum etiam ſphacelus in faucibus ſequitur, præcedente ſemper pulſuum intermittentia, ſuperaddita pluries diarrhœa torminoſa, & colliquativa, cum macularum abolitione.

§. XVI.

Hæc epidemia Viennæ Auſtriæ anno (ni fallor) 1732. viſa fuit. Primo febre valde acuta, & inflammante ægrotantes adoriebantur; & in prima febris periodo morbillorum eruptio apparebat; maculæ vero in hac corporis parte rubræ, in illa pallidæ conſpiciebantur, cum faucium inflammatione. Secunda, vel tertia febris dies ſphacelus in faucibus aderat; alvus laxa erat; maculæ evaneſcebant; poſtremo ægrotans brevi temporis ſpatio morieba-tur, tertia ſcilicet, vel ad ſummum quarta ægrotationis die.

§. XVII.

Si febris a prædicto venenato effluvio putridæ materiæ mixto incrementum ſumpſerit, in ſynochum cum putredine permutabitur, & tunc ægrotans comate, vel delirio, tendinum ſubſultibus, ac ſpaſmis affectus erit; pulſus vero ſi tunc debilis, & frequens fuerit (ut paſſim in hoc febris initio obſervatur), poſtea vero intermittens evaſerit, utplurimum funeſtum morbis exitum oſtendit, vel difficillimam curationem admittet. Ideo practici diſcrimen inter morbillos benignos, & ſpurios, qui ſemper malignitatem ſapiunt, facere videntur; ſpurii quidem non tam cito, ac prompte erumpere ſolent, ſed ſemper lento greſſu procedunt, primo unam partem; mox aliam, aliamque ſubinde occupando.

§. XVIII.

In malignis morbillis, ubi pravi ſociantur humores, vel in epidemicis, ubi morboſa materia maligna, contagioſa, ac venenata, quæ aerem quoque inficit, & conſpurcat, aliquoties eruptionis tempus, ſive primum morbillorum ſtadium in longum protrahitur, quatuor ſcilicet, vel quinque circiter a morbo dies, & tunc ſimul, & ſemel duo morbi tempora in ſeptima die complentur, hoc eſt principium, & augumentum. Hoc ex eo provenit, quia (ut ſæpe diximus) natura ob pravitatem materiæ maſſa ſanguinis contentæ, quæ a pulſus debilitate, celeritate, e ceteris ſignis arguitur, ne perfectam faciat criſim, impeditur: Sic lenta eruptio, & quo ſerior, eo pejor; maculæ raræ, palleſcentes, vel alterius ſubluridi coloris, & mors præ foribus.

§. XIX.

Nec ratio longe quærenda; cum enim ad corporum impurorum facilem expulſionem ſanguinis moderato, ordinatoque motu natura indigeat, & ſanguis ex malignitate materiæ ipſi commixtæ perturbatus valde, & agitatus ſit, nulla poteſt fieri critica, & ſalutaris ſeparatio, ſed ſymptomatica tantum, ac ſæpe lethalis. Interdum hoc etiam evenit ab aliquo viarum defectu, in quibus nonnulla ſit facta mutatio, ut fuſius, ubi de variolis §. LXVII, CXXXV.

§. XX.

Morbilli diutius in cute efflorescentes, febre ſemper perſeverante, mali, immo peſſimi cenſentur, præcipue poſt nonam ab eruptione diem; denotant enim morboſæ materiæ quantitatem adhuc in maſſa ſanguinis latitare. At ſi quæ hoc in ſtatu mala addantur ſymptomata, licet pauca, ut ex. g. ſi ægrotantes languidi ſint, & triſtes animo, non ſolum

lum materiæ malignæ quantitatem, verum etiam pravam ipsius qualitatem ostendunt.

§. XXI.

Morbilli generatim pectus petunt, atque faucium glandulas, sicut manifeste demonstrat tussis illa continua, qua ægrotantes vexantur, proportione autem qua depositio materiæ morbillosæ in pectore; & faucibus fit, semper crescens.

§. XXII.

Accidit quandoque morbillorum eruptionem minime continuare, quia materia ad cutim transmittenda alibi transfunditur, quæ inflammationis dispositionem glandulis pharyngis, pulmonis, vel aliis partibus impertitur, quo casu quantumvis a morbillorum sævitie ægrotus evadat, morbos alios, juxta partium infectionem sustinebit.

§. XXIII.

Si eruptionis tempore, vel eruptis postea morbillis temperata sanguinis hæmorrhagia per nares, vel menstruæ purgationes mulieribus recte, atque ex ordine advenerint tunc morbilli recte procedent; ubi autem immodicæ, & febris aucta malum.

§. XXIV.

Frequentissime etiam observavi, ex hujusmodi ejectionibus, ante perfectam morbillorum eruptionem, maculas evanuisse, ita ut ægrotantes jam morbo liberi crederentur. Attamen quia materia morbum gignens non integre per sanguinis fluxum expulsa, aliqua exparte, in massa sanguinis adhuc supererat, idcirco sanguinis orgasmo vitiato, mox non optima frui valetudine visi sunt, quinimmo pulsu ad plures dies paulo frequentiori, seu alterato, appetitu non naturali, sed prostrato, somno inquieto, faciei colore aliquantulum mutato, urina

inconcocta, & ſine ullo ſedimento, cum capillorum defluvio. Immo poſtquam ad naturalem ſtatum pulſus rediit (quod evenit plerumque poſt decimam quartam diem), animo triſtes, vel ſaltem minime hilares fuerunt; denique (ut paucis me expediam) modo de hoc, modo de illo identidem incommodo conqueſti ſunt, donec perfecte organismus pacatus fuerit; non ideo tamen a nova morbillorum eruptione fortaſſe immunes.

§. XXV.

Si poſt macularum eruptionem diarrhœa ſuperveniat, maculæ evaneſcent (ſicut de variolis loquendo diximus §. LXII.), quia morboſa materia in inteſtinales glandulas corruens, propter viarum cutanearum quodcumque impedimentum ab incepto opere naturam diſtrahit, alias imparem duobus ſimul, & ſemel valde diſſitis, ſeu pugnantibus inter ſe officiis obeundis.

§. XXVI.

Diarrhœa nulla in malignis, aut epidemicis vere critica nuncupari meretur, niſi quæ in fine morbi advenit, quia hæc omnes materiæ reliquias extrudit, ſi tamen arte juvetur; ſin autem, in torminoſam, & colliquativam tranſire poteſt, immo & febrem denuo excitare, quæ vere ſynochus putrida dicenda erit. In benignis item, atque ſporadicis eadem utatur cautela.

§. XXVII.

Accidit interdum quod ſupprimatur urina, vel quia morboſa materia proter pravam aliquam qualitatem per renum meatus tranſire nequit, vel renum glandulis, & canaliculis inflammantem diſpoſitionem ſic impertitur, ut ſeparationis officio impares exiſtant. Quandoque urina cruenta appareat, quum ſcilicet per impetum ejuſdem materiæ;

vel per ipsius acrimoniam; in plethoricis præcipue vasa aliqua confringantur.

§. XXVIII.

Morbilli post abortum, vel partum supervenientes, si lochiorum purgationes aut nimis imminuant aut augeant, utroque modo periculum minantur. Ita pariter quando post eorum eruptionem convulsiones accedunt, quæ nervorum genus a nimia exstimulatum acrimonia probant.

§. XXIX.

Eruptione facta; in qua primum, & secundum tempus, principium nempe, & augumentum inclu-ditur, incipit status morbi, qui fere semper in benignis triduo absolvitur. In malignis vero, quia materia vel nimis copiosa est, vel pravæ indolis, longius protrahitur.

§. XXX.

Adverte interea, quod, præsertim tempore epidemiæ, alia frequenter inspiciuntur exanthemata, quæ morbillorum eruptionem aut comitantur, aut sequuntur, tertio nimirum, quarto, & septimo, ad nonum usque diem, eorumque sive benignitatem (si quam præsumere poteris), sive malignitatem, ex colore, & sociis symptomatibus facile argues.

§. XXXI.

Frequens sputi emissio, & cum tussi screatus immo adhuc copiosa per nares mucorum ejectio (sicut in variolis cohærentibus, & confluentibus observatur) boni ominis sunt, fluida namque pura optime separari a puris exinde constet, imliorem ideo in statum hæc restitui necesse est me-

§. XXXII.

Tuſſis ferina cum craſſa excreatione acriorum humorum, qui fauces infarciunt, copiam denotat, quæ gutturis partes alterare, inflammare & corrumpere poteſt. Cum excreatione vero cruenta, vel ſubcruenta, coloris ſcilicet roſacei, jam damnum pulmonibus illatum dubitari non patitur, ſi fauces ab inflammatione liberæ ſint.

§. XXXIII.

Poſt autem morbillorum declinationem febris perſeverans, permagnum timorem incutit; per hanc enim manifeſtatur materiam, quæ expulſioni non paruit, in maſſa ſanguinis putreſcere, & propterea mortem eſſe in olla (, ut dicere ſolent).

§. XXXIV.

Morbo abſoluto, ſubnectuntur non raro alii difficilis curationis, ut empyema, pulmonum vomicæ, phthiſis, attrophia, & ſimiles, qui quum a reliquiis morbillorum materiæ procreentur, propria non medentur methodo, niſi ſimul ad eorum fontem ratio habeatur.

MORBILLORUM CURATIO.

§. XXXV.

UT optima, & rationali methodo curatio inſtituatur, primo incipiendum eſt ab aeris cubiculi recta inſtitutione. Sit igitur cubiculi aer valde temperatus; a frigido enim aere pori conſtipantur, & morbillorum eruptio, vel nulla, vel retardata, & imperfecta exiſtit, atque ob propriam humoris hujus ad inflammationem vim, & naturam tendentem damnum in aſpera arteria, in pharyn-

gis

gis, vel pulmonum glandulis affertur. Præterea præ frigido cubiculi aere, vel integumentis levibus non tantum materia inflammandi vi prædita egredi, ad cutem ſcilicet pergere non ſinitur, ſed inhærens viſceribus, incendium ibi, & gangrænam facile parat.

§. XXXVI.

Ubi vero nimis ſit caloris æſtus a climate, ſeu a regione calida, vel ab æſtivo tempore, ſive a cubiculo calefacto, aut a ſtragulis productus, humores majori impetu confuſe, & ſine lege ruentes, nullam ordinatam ſeparationem valent efficere; quim immo magis magiſque perturbantur, ac commiſcentur adeoque prava ſymptomata tunc temporis exorientur; vel alter producetur morbus, a quo ægrotans vix evadere poterit.

§. XXXVII.

Diæta inſtituatur congruens cauſſæ hunc morbum producenti; nam nihil malignius in humano corpore invenire poſſumus, præter atrabiliarium humorem, a quo morbilli, & variolæ (ut diximus) originem ſumunt; ideoque juſcula tenui pullorum juvenum, vel carnis vitulinæ, liquores avenacei, hordeacei, & gelatinoſi, qui motum ſanguinis effrænum, & acrimoniam ipſius temperare valeant, adhibeantur.

§. XXXVIII.

Quod attinet ad potum, etiam temperatus ſit oportet, & qui nullatenus ipſorum eruptionem retardet; quare ptiſana aliqua ex hordeo, radice ſcorſoneræ, raſura cornu cervi, & parum de ſemine fœniculi corticibus mali medici, vel alia re ſimili pro grato odore eſt propinanda. Arabes calidæ regionis habitatores, tam intrinſecus, quam extrinſecus refrigerantibus cum euphoria utebantur; quod

non convenit in pluribus regionibus, ubi calidus aer desideratur.

§. XXXIX.

Quando febris ab initio adfore morbillos prænunciat, nihil temere tentandum, quod in ægrotantis perniciem, & Medici famam cedat; expellentibus vero valde moderatis juvanda natura, ubi non fecerit satis. At ubi expulsio naturaliter recte procedit, ferme nullum, vel ad summum leve auxilium inferius dicendum ad praxim revocare opportunum.

§. XL.

Totus curationis cardo in hoc vertitur, ut vitiosa materia a partibus corporis interioribus ad exteriores amandetur; febris, & symptomata socia temperentur, & quæ recens adveniunt arceantur.

§. XLI.

Febris a principio magna, ac violenta, comatosæ effectioni copulata, vel cum delirio apparens, aut inani vomituritione, tussi, ferina, vel sternutatione continua, adauctam denotat malignitatem; quamobrem valde cautus debet esse Medicus, ne imminentem criticam expulsionem, quam naturamet tanto conatu, & apparatu molitur, medicamentis cardiacis valde efficacibus perturbet. Utendum igitur remediis blandis, absorbentibus nimirum & levem tantum, suavemque madorem promoventibus, ut cornu cervi sine igne præparato, grano uno, vel altero bezoar orientalis, vel pulvere Marchionis epileptico, & lapidibus cancrorum præparatorum ana, ℈ß, vel ℈j, tribus, vel quatuor granis lapidis Goæ incompleti, & similibus, semper in refrata dosi exhibitis.

§. XLII.

Ableganda propterea bezoardica calida, quæ noxia ſæpe ſunt, & præcipue quæ habentur a radicibus contrajervæ, ſerpentariæ Virginianæ, angelicæ, & hujuſcemodi farinæ, nam loco ſimplicis, & ordinatæ eruptionis morbillorum, alia ſimul prava exanthemata pariunt, ac etiam fatalem diarrhœam, majorem ſanguinis agitatonem, atque diſſolutionem, unde narium hæmorrhagiæ effrænæ, gutturiſque, vel pectoris infirmitates variæ eveniunt. Adde etiam talem in eruptione pruritus moleſtiam, ut unguibus ſe ſcalpere ad effuſionem ſanguinis uſque ægrotus cogatur; poſtque cuticulæ lacerationem, calorem urentem ad animi deliquium patiatur; ſupervenientibus ulterius maculis quandoque purpureis, lividis, *juxta Avicennam* lethalibus, vel gangræna, & in ſeptima, vel nona die tandem interitu.

§. CLIII.

Morbus iſte fauces aliquando invadit, ipſasque acrimonia ſua ita obducit, ut etiam gangrænam efformare incipiat. Utile in hoc caſu erit ipſas *Robdianucum* linire, ac etiam gargariſmata cum camphora, vel quid ſimile adhibere.

§. XLIV.

Quando pectus aggreditur, & tuſſes tam ferinas movet, ut ad hæmoptyſim ægrotantem inducat, juvabit juſculis uti gelatinoſis, vel liquore avenaceo, & hordeaceo, gelatina cornu cervi, & eboris, ac etiam diacodio Montani, vel aliis paregoricis, & opiatis.

§. XLV.

In delirio, vel comate perſiſtentibus, una cum aliis pravis ſymptomatibus vehementi febre ſociatis, veſicatoria applicentur, atque epiſpaſtica, quæ

febri

febris impetum, & maligna ſymptomata temperant, & caput liberant.

§. XLVI.

Diarrhœa vero ſuperveniens, ne criſis per peripheriam impediatur, clyſteribus ex ſimplici decocto radicis tormentillæ factis corrigatur, quibus addi poteſt juſculum ex carne vervecina, vel cremor hordei, vel quid ſimile, ad acrimoniam, quæ in inteſtinis jacet, diluendam, atque demulcendam, quæ continua irritatione diarrhœam fovet. Intrinſecus autem in uſum revocanda erunt medicamenta alexipharmaca temperata, adſtringentibus, atque abſorbentibus ſociata, nec non etiam paregorica, videlicet cryſtallus montana præparata, ſmaragdi præparati, corralia rubra vel alba præparata, terra lemnia, ſigillata, ſpecies pro confectione hyacinthina incompleta, electuario diaſcordii Fracaſtorii mixta, vel ſi mavis, aliqua grana rhabarbari toſti, cum electuario diaſcordii, & granum ſemis, vel unum (pro ægrotantis ætate) theriacæ cæleſtis.

§. XLVII.

Diarrhœa porro, quæ utplurimum in ſeptima, vel nona ab eruptione die advenit, non ſemper ſimplex, ſed ſæpius torminoſa eſt, quia materia putrida, & corrupta (ut apparebit ex pulſu intercalare, vel intermittente) nerveas inteſtinorum fibrillas vellicando, & criſpando dolorem generat; atque brevi temporis mora inflammationem producit; ſtatim igitur rhabarbaro, & clyſteribus hordeaceis, avenaceis, vel lacte, & juſculo carnis vervecinæ factis ſubigatur, vitando in hoc caſu paregorica, & opiata.

§. XLVIII.

In morbillis igitur medicamenta valde temperata neceſſaria ſunt, quæ ſuaviter expulſionem tantum

tum promoveant, ac liberam transpirationem, non vero sudorem, licet ad breve temporis spatium, producant, aliter sanguis in hoc morbo valde dissolutus, agitatus, atque acrior, vel subtillior effectus præsertim ubi sudor copiose ab efficaci medicamento fuerit promotus, ægrotanti damnum potius, quam levamen afferre, morbumque colliquativum constituere posset.

§. XLIX.

Nihilominus si in quarta, vel circa quartam febris diem aliquibus tantum maculis apparentibus eruptio minime perficiatur, aut retardetur (quod deleteriam morbi malignitatem denotat), ad naturæ vires roborandas tuto tunc est confugiendum ad efficaciora expellentia, & largiori dose propinanda, temperata tamen. *Ubi vero post horum sumptionem incepta* eruptio non bene procedat, ut quum maculorum conformatio haud congruenti colore, nec in tota peripheria appareat, vel rubicunda in una corporis parte, in altera pallida, vel alterius subluridi coloris, aut primo in una parte, postea in altera manifestetur, in eadem methodo persistendum, eadem enim morbi malignitas persistit; quam etiam vesicantia moderant, & corrigunt. Medicamenta igitur aptiora erunt hæc, vel similia.

℞. pulv. chelar. cancr. composit.
lapid. Goæ incomplet. aa ʒiß
unicorn. veri s. i pp
c. c. s. i. pp aa ʒj

M.; & divide in part. x, vel xij æquales; pro ægrotantis ætate, mane unam tantum dosim in congruenti aliqua, & idonea aqua sumendo; vel ad summum bis in die.

§. L.

Cetera, quæ in hoc caſu evenire poterunt; relinquimus prudentiæ induſtrii medici, qui in omnibus ſemper ex pulſu, reſpiratione, atque ſymptomatibus ſingulis indicium pro ægrotantis auxilio ſumere debet. Ad hunc quoque ſcopum noſtra conducet methodus, ſupra in variolis aſſignata; quam ſi quis attente conſideraverit, & quæ facienda in hujuſmodi morbo ſint, & opportunum juvandi tempus deprehendere facile poterit.

INDEX VARIOLARUM.

A

ABortus, vel partus variolarum cauſſa ſuperveniens quando innoxius? §. LXXV. pag. 45

Abſorbentia quando adhibenda? CXXX. 88. CXXXVII. 92. CXL. 93

Adſtringentia in diarrhœa, & hæmorrhagia non adhibenda, CXXXIV. 90

Aer cubiculi ſit temperatus, CXVI. 75

Aeris alteratione humores noſtri magis alterantur, quam a cibo, & potu, LVII. 35

Alvi dejectiones quales frequenter inventæ? XXXIX. 22. CVI. 68. ſtipticitas quando, & quomodo tollenda? CXXVIII. 86

Animi deliquia unde? XXXVIII. 22. pathemata ſint proculi, CXII. 72

Anni conſtitutio in homines influit, LVIII. 36. LIX. 37. LXV. 40

Aqua abundanter pota maturationis tempore laudabilis. CLVIII. 111

Arabes Mahumetani primi ſcripſerunt de variolis, & morbillis III. 3

Avicenna vocavit morbillos cholericas variolas II. 3

B

BAlneus aquæ calidæ in cutis obſtructionibus laudandus CXXXV. 91

Benignarum variolarum Geometrica explicatio LVI. 34. indicia CXVIII. 76

Bezoardica quando porrigenda? CLXI. 113

C

CApſulæ atrabiliariæ, dictæ glandulæ renales, vel renes ſuccenturiati, §. XXXI. 19. in melancholicis vacuæ XXXIII. 20. in ſenibus interdum vacuæ, hujuſque rei ratio LIII. 31

Capſulæ atrabiliariæ majores in infantibus, quam adultis XXXI. 19. quando cum renum membrana adipoſa confundantur? XXXIII. 20. quem uſum habent, juxta aliquorum opinionem? XXXIII. 20. variolarum generationi inſerviunt XXXI. 19.

Cauſſa imperfectæ eruptionis CLII. 105. mortis, humorum quantitati, fervori, & corruptioni adſcribenda XCI. 57. imperfectæ eruptionis non ambienti aeri cubiculi adſcribenda XCVIII. 63. CLIII. 105. variolarum XXX. 18. variolarum in cerebro, vel partibuus ſpermaticis a quibusdam reponitur XXIII. 16. variolarum in nobis, & non extra nos, IV. 4. XII. 11. ſecundum aliquos non nota, XXIV. 16. XXV. 16

Circumferentia, ſeu ambitus variolarum omnium quare rubra, LXXVI. 46. XCII. 58 quando palleſcit, malum portendit, XCII. 58. CLIII. 105

Clyſteres quando citius applicandi? CLIV. 107.

Colloquia vitanda, CXII. 72

Color variolarum maturationis tempore qualitatem maligni humoris oſtendit, CLXXIV. 120 viridis, obſcurus, vel niger in parte aliqua dolente, indicium gangrænæ eſt, & mortis proximæ, LXIII. 39. CI. 66

Contagii vis, XLIV. 24

Contagium a matre fœtui impertitum Rhazes credidit variolarum cauſſam eſſe, XVIII. 14. & epidemia per ſe variolas non producunt, XXXII. 19. Liſterus pro cauſſa variolarum dat XXVI. 17

Convulſiones promptam variolarum eruptionem indicant, XV. 12. variolas præcedentes boni ominis ſunt, ſubſequentes mali, LXXI. 43

Corpus quando purgantibus neceſſario abſtergendum CLXX. 118

Corruptionis gradus ultimus in calido, & humido reponitur, LVIII. 36. & putredinis voces frequenter ſumptæ

ad designandum liquida a naturali statu immutata, LVIII. 36
Crisis in perfecta, vel saltem in majori eruptione consistit, §. CXXII. 79
Crystalli, & Sapphyri virtus, pro oculorum defensione; inanis CXXXIX. 93
Cucurbitulæ scarificatæ pueris trium, vel quatuor annorum, loco venæsectionis applicandæ CXXXIII. 89.
Cura variolarum a quibus magis discenda? XC. 56. CLXIII. 114. in morbificæ materiæ expulsione consistit, LXXXIII. 50. CXXXIII. 89. CLXIII. 114. in principio ubique eadem, CXXXIII. 89

D

Diaphoretica quando absolute vitanda? CXXXVII. 92. quando moderate adhibenda? ibid. sæpe noxia, CXXXII. 89
Diarrhœa enormis eruptionem retardat, XLIX. 28. in malignis quando mali, vel boni ominis sit? LXII. 39. in pueris salivationis locum tenet LXXXIII. 50. XCVI. 61. CXLIV. 97. opportune corrigenda, ne immodica evadat LXXXIII. 50. quomodo, & quando temperanda? CXXVIII. 86. CXXXIV. 90. CXLIII. 95. CXLIV. 97
Diæta qualis? CXIII. 73
Dispositiones corporis, quando bonæ, quando malæ? LXVI. 41. LXVII. 41. LXVIII. 42.
Dolor dorsi symptoma specificum variolarum, XV. 12. ventriculi. XV. 12. XXXVIII. 22. L. 29
Dulcificantibus quando utendum? CXXX. 88.

E

Epidemiæ tempore variolis sæpe alia exanthemata sociantur LIX. 37 LXXXV. 50. CLXI. 113
Eruptio variolarum naturæ crisis, V. 10. XLVIII. 26. nunquam sine febre XLIX. 28. quare prius in facie, & postea alibi? LII. 31. etiam tarda, quando malignitatem indicet? XLIX. 28. nova, quarta a prima eruptionis die sæpe comparet, sed rem non mutat, LXXXIV. 51. LXXXVI. 52.
Eruptione inceptа, quando nihil agendum, & quare? CXXV. 83. CXXXI. 88.

Eruptiones omnes cutaneæ a Græcis exanthemata; seu ecthymata appellatæ, §. II. 2. a Latinis papulæ ibid.
Eruptionis criticæ mechanica demonstratio, LX. 38., & elevationis variolarum mechanica descriptio XLVIII. 26. *seq.*
Evacuationes aliæ tentandæ in salivationis defectu, CLVIII. 111. non omittendæ; etiam si Medicus vocatus sit secunda solum, vel tertia febris die, CXXII. 79
Exanthematum nomine Græci variolas comprehenderunt, VI. 5
Exemplum septies repetitæ variolarum eruptionis, XLIII. 23
Expellentia calida esse non debent, LXXXII. 50
Expellentibus medicamentis quando utendum? CXXI. 78. CXXX. 88. CXXXV. 90. CXXXVII. 92. CXL. 93
Exsiccatio anticipata, mala, quare? CVII. 69. quando exerceatur? CVI. 68
Exsiccationis tempore alia alba exanthemata quandoque erumpunt CVI. 69. CLXIV. 115

F.

Febrilis effervescentia quando perfectrix, quando corruptrix dicatur? CXXVII. 85
Febris variolarum ab Avicenna concluſa ab Avenzoar Mauritano impetuosa dicta XI. 11. acuta semper in variolarum principio ibid. mechanica explicatio XLVIII., 26. quandiu duret? XV. 12. quando reviviscat? ibid. quantitas a quantitate humoris atrabiliarii cum sanguine mixti dependet, LXXII. 44. secundaria maturationis tempore incipit, LXIX. 42. LXXXIX. 54. putrida, & inflammatoria appellatur, LXXXIX. 54. CXLVIII. 99. CLVII. 110. lenta, & apparenter mitis in exsiccatione, suspecta CVI. 68. quantitas malignitatem morbi ostendit CII. 66. quomodo tractanda? CXLVIII. 99. CLVII. 110. CLXXIII. 120. sæpe lethalis LXXXIX. 54
Finis Auctoris in hoc opere conficiendo, CXXXVI. 91
Fœtus in utero variolarum est capax. LV. 33
Frictiones quando in usum revocandæ? CXXXV. 91

G

GAngræna in intestinis ab auctore inspecta, XCV. 60
Glandularum ope crisis efficitur, L. 29

Hæ-

H

HÆmorrhagiae normis eruptionem potrahit; §. XLIX. 28
phlebotomia corrigitur CXXIII. 81. quomodo temperanda? CXLV. 97. narium in malignis quando mali ominis sit? LXII. 39. CXXIII. 81. uteri fere semper abortum comitatur LXXV. 45. regularem variolarum magnitudinem minuit, earumque promptioris exsiccationis est causa LXXV. 45

Helmontius venenum indemonstrabile causam variolarum dixit XIX. 14

Hirudines duæ in necessitate applicari possunt pueris primæ ætatis CXXXIII. 89

Horripilatio in febribus aliquam naturæ machinam in visceribus indicat XLVII. 25

I

IMaginationis, seu phantasiæ vis, XL. 23. XLIV. 24
Incrementa, & diminutiones febriles non sunt febris partes, sed modi, aut mensuræ, LXI. 38

Insertio variolarum vana, LXXIII. 44.

Interstitia variolarum pallida, funesta; XCII. 58. CLIII. 105

L

LActis impuritates causa variolarum per aliquos, XXII. 15
Latini antiqui variolas papulas appellarunt, VII. 6

Lectus temperate calidus sit, absque superfluis stragulis, CXII. 72.

Lindanus, Kirkerus, & alii causam variolarum vermibus adscribunt, XX. 14

Liquor atrabiliarius in quantitate majori diffusus variolas, in minori potius morbillos gignit; XLII. 23. licet in exigua quantitate sanguini mixtus, toti massæ motum inordinatum inducit, XXXIV. 20. magnam etiam arteriam coinquinat XXXVI. 21. quomodocumque motus variolarum causa XXX. 18. LXXIII. 44. quomodo delirium, capitis dolorem, convulsiones, atque epilepsias producat? XXXVI. 21. quomodo dolorem dorsi? XXXV. 21. XXXVII. 22. primo venæ cavæ communicatur, XXXV. 21

Lues celtica morbus antiquus, & non derivatus ab Indiis IX. 8

M

MAculæ aliquæ tantum crisis non sunt, sed crisis rudimenta §. CXXII. 79
Margines variolarum pallescentes dirum præsagium, XCII. 58. CLIII. 105
Materia variolosa ad partes vitales delata mortem affert, LXXXII. 49. intus remanens novos morbos producit, CLXX. 118
Medicamenta parum calidiuscula quando, & ubi aliquando conveniant? CXV. 74
Medicamentorum usus frequens quando noxius? CXLI. 94
Medicus debet in variolarum cura omnia attendere; morbique naturam, recta philosophandi methodo, ac mechanicis regulis investigare, X. 10. CXLIX. 100. quando morbus anceps est, vel suspectus, mutationem expectare non debet, sed statim aliquid prudenter tentare, CLI. 104
Menstruæ impuritates causa variolarum per multos, XXI. 15. purgationes quando neque variolarum elevationi, neque maturationi officiant? LXXIV. 45. impuritates variolarum causa defluentes, quantum durare soleant? ibid.
Mercurialis voluit variolas, & morbillos novos morbos esse, a vitio aeris productos, & morbos hæreditarios. III. 3
Metastasis explicatio mechanica, XCIX. 64
Morbi alii si variolis copulentur, ad illum attendendum est, qui magis urget, CLXII. 114.
Morbi maligni prima facie nihil differunt a benignis, XCI. 57. plures a mutata humorum qualitate nascuntur LVIII. 36. quales ob purgantium omissionem post variolarum exsiccationem? CLXIX. 118. eorum curatio, ibid.
Morbilli primo ab Arabibus sic nuncupati, II. 2
Morbilli sub nomine pustularum morsibus pulicum similium ab antiquis descripti, VII. 6 variolis conjuncti nullam suspicionem causare debent LXXXV. 51. LXXXVI. 52

N

NAtura duabus contrariis separationibus eodem tempore non incumbit, LXXIV. 45. in malignis variolis nunquam compos est totam variolarum materiam ex se sola ex-

expellere, §. CLXX. 118. in quo essentialiter consistat? L. 29. per plures vias expulsionem molitur. C. 65. quando, & quomodo juvanda? CXX. 77. CXXI. 78. CLXV. 116. quomodo definiatur ab antiquis. XLVII. 25

O

OCuli a variolarum insultu quomodo præservandi? CXXXVIII. 92
Opiata in diarrhœa, & hæmorrhagia, anté alia proportionata medicamenta, vitanda, CXXXIV. 90
Opiatorum quando conveniat usus? CXLV. 97
Opiniones circa locum originis variolarum, III. 3

P

PAregorica quando adhibenda? CXXX. 88
Periculum vitæ non solum a quantitate, sed etiam a fluidorum motus velocitate, & a partium sanguinis immutata figura, XCVII. 62. vitæ quando cessat? CVI. 68
Plinius variolas papulas vocavit, VI. 5. & Boas, ibid.
Potio laxativa utiliter in exsiccatione propinata CLXVII. 117.
Ptisana pro potu ordinario quæ? CXIV. 73
Pueris ante quartum, vel quintum ætatis annum a sanguinis missione ordinario parcendum, CXXXIII. 89.
Pulsus non omnino naturalis signum sufficiens pro evacuantium necessitate, CI. 101
Purgantium indicationes CXIX. 76
Purgationes post exsiccationem necessariæ CLXVII. 117
Pustularum depressio unde? LXXXII. 49. depressionis ratio XCII. 58. XCVII. 62. CL. 101. CLIII. 105. depressio suspecta LXXXII. 49. CX. 71. CL. 101
Pustulæ ad tactum duræ lethales, LXIV. 39. CIII. 67. CX. 71. item obscuræ, vel nigræ, LXIV. 39. CX. 71. majores in infantibus, ac pueris, quam in viris, LXXVIII. 47. majores in manibus, & pedibus, quam in aliis corporum partibus, LXXVII. 47. non satis infarciuntur, vel ob materiæ crassitiem, vel ob canalium proportionem mutatam, LXXXII. 49. in cadaverum dissectorum internis partibus manantes inventæ, XCV. 60. non solum extra, sed intus erumpunt, CXI. 71. CXXIV. 81. CLIII. 105.

Pustulis prioribus exsiccatis, aliæ sæpe iterum erumpunt; §. XXXIV. 51., vel alia prava exanthemata, ibid.

Q

QUies ægrotantibus necessaria, CXII. 72

R

REmedia ad elevationem juvandam, CX LII. 94 ad vitandas variolarum fossulas, seu cicatrices CLXVIII. 117.
Retrocessio ab aliquibus credita rationibus validis confutatur XCII. 58. CXXVI. 84. CLIII. 105. CLVI. 109.
Rhazes, & alii variolas, & morbillos pestem esse dixerunt III. 3. VIII. 7. XII. 11.

S

SAlivatio ad sanitatem sola sæpe non sufficit CLIX. 111. copiosa, utilis, XCIII. 59. imminuta, periculosa XCI. 57. quandiu continuare debeat? LXXXIII. 50. CLIX. 111. quando incipiat? LXXXIII. 50. CXLIV. 97.
Sanguinis missio exsiccationis tempore necessaria CLXVI. 116. in febris initio, CLXXI. 119. quando cito celebranda? CLIV. 107. ante perfectam eruptionem valde proficua CXXII. 79. CXXIII. 81. CXXIX. 86. si ante omissa fuerit, etiam variolis erumpentibus facienda. CXXIV. 81. CXXIX. 86.
Sanguinis missionem indicantia CXIX. 76. CXXXIII. 89. CXLVI. 98
Sanguis funiculi umbilicalis a Digbæo, & aliis variolarum caussa dictus, XXVII. 17. ut functiones suas recte exerceat, continuo attritu opus habet, XLVIII. 26.
Sapphyri, & crystalli montanæ virtus pro oculorum defensione gratis asserta, CXXXIX. 93
Senes acredine scatent, quare? LXXVIII. 47
Separationis impedimenti geometrica demonstratio, XCVII. 62. C. 65
Signa febris variolarum, XV. 12. secuturæ malignæ eruptionis, LI. 31.
Signorum necessaria cognitio, XV. 12. CXVII. 75
Spiritus animales elasticitate referti, XXXVI. 21. XCIX. 64.

Spu-

Sputum cruentum morbus ex se, absque variolis; metuendus, §. CII. 66. pessimum, XCIV. 59. CXXIII. 81
Symptomata multum periculosa, XCI. 57. CI. 66. CVI. 81. CXIX. 76. præcedentia, & concomitantia variolarum eruptionem, XV. 12. variantur juxta morbi circumstantias, XLVI. 34. CIV. 67

T

TEmpora variolarum quatuor XVI. 13. CXLVII. 98
Tempus exsiccationis periculosum, LXXXVIII. 53. CV. 68. CLXIV. 115. item maturationis, LXXXVIII. 53. LXXXIX. 54. CV. 68. maturationis quando incipiat? LXXXIX. 54
Topica medicamenta pro hæmorragia sistenda CXLV. 97
Turgescentiæ, seu ferventis agitationis effectus, CLIII. 105
Tussis sicca quare mala? XCIII. 59

V

VAriolarum aspectus differens juxta liquidorum crasim, & corporis constitutionem, LXXVIII. 47. circumstantiæ variæ prognosi, atque medelæ inserviunt, XLVI. 25. denominationes variæ LXXIX. 48. elevatio impedita, LXXX. ibid. malignitas potius in cita quam in tarda eruptione, XLIX. 28. LXIX. 42. LXX. ibid. CIX. 70. CXXIX. 86. CXL. 93. malignitas, vel benignitas a liquidorum dispositione, & ab humoris atrabiliarii quantitate a sanguine absorpta dependet, XLV. 24. LVI. 34. LXXVIII. 47. benignitatis algebraica demonstratio, LVI. 34. numerus, & magnitudo, humorum copiam demonstrant, CLXXIV. 120. species, & divisio, XII. 11
Variolæ ab Arabibus primo sic dictæ, II. 2. ab iisdem cognitæ, III. 3. anomalæ, CI. 66. ad maturationem perventæ cur a Medico non amplius considerandæ? CLVII. 110. cur lymphaticæ evadant? LXXX. 48.
Variolæ dicuntur ab aliis morbus hæreditarius, III. 3. & morbilli non habent totam vim pestis ibid. ab omnibus scriptoribus pro crisi habitæ X. 10. facilius pinguiores, quam graciles invadunt LIV. 32. in illis benigniores, quam in istis, ibid. morbus antiquus, III. 3. hæreditarius non sunt, III. 3. IX. 8. Neapoli vernaculo nomine Bone, VI. 5. non a nobis ad Indos delatæ, IX. 8.

post

poſt primam vicem interdum redeunt, & quare? §. XLIII. 83. quid ſint? X. 10. pueros, & juvenes facilius, quam alios invadunt VIII. 7. LIII. 31. quando interdum non veniant, & quare? LV. 33. ſi peractis evacuationibus interdum non compareant, vel ſi una, aut altera priùs erupta diſpareat, nihil timendum, CXX. 77. CXLV. 109. ut ſic, ſalutares potius, quam perniciosæ I. 2. X. 10.
Varioloſæ materiæ ſeparatio ab omnibus glandulis efficitur XXXIX. 22.
Veſicatoria quando? CXLVIII. 89. CLVII. 97. CLXI. 113. CLXXII. 119.
Victus ſit tenuis, CXIII. 73
Vomitus in variolis quare viridis, vel virideſcens? XXXIX. 22
Urina cruenta morbus ex ſe timendus, abſque variolis CII. 66. in eruptione interdum videtur ibid.
Urinæ impedimentum unde? CVIII. 70. ejus remedium, CLX. 112.

INDEX MORBILLORUM.

A

AER cubiculi valde temperatus eſſe debet, §. XXXV. pag. 134

B

Bezoardica calida noxia XLII. 136

C

Color pallidus, vel hujuſmodi, infauſtus, XVIII. 130.
Contagium quid influat? XIV. 128
Convulſiones eruptionem ſequentes malæ, XXVIII. 133
Curationis Cardo, XLVIII. 136

D

Diarrhœa critica nulla eſt, niſi in fine morbi XXVI. 132. quomodo corrigenda? XLVI. 138. ſemper arte juvanda XXVI. 132. in ſeptima, vel nona ab eruptionis die advenient, quare aliquando ſit corminoſa? XLVII. 138. quomodo ſubigenda? ibid.

Diæta qualis; §. XXXVII. 135
Diſpoſitio ægrotantis attendenda, XIII. 127.
Diſcrimen inter morbillos, & purpuram, VI. 125

E

Epidemia quid operetur? XV. 128.
Epidemiæ morbilloſæ hiſtorica narratio, XVI. 129
Eruptio quando critica, quando exitioſa? X. 126
Eruptio quare, & quando protrahitur; XVIII. 130. quomodo impediatur, vel ſymptomatica evadat? XIX. ibid.
Eruptionis tempus, X. 126
Exanthemata alba, præſertim epidemiæ tempore, morbillorum eruptionem aut comitantur, aut ſequuntur, XXX. 133
Expulſiva quæ, & quando adhibenda? XLIX. 139

F

Facies primo, deinde partes aliæ maculis inficiuntur IX. 126. X. ibid.
Febris poſt morbillorum declinationem perſeverans quare pertimeſcenda? XXXIII. 134
Frigoris damna, XXXV. ibid.

G

Gangrænæ faucium quomodo occurrendum? XLIII. 137

H

Hæmorrhagia narium enormis mala, XXIII. 131

I

Infirmimitates aliæ morbillis ſuperveniences, ſed ex eadem cauſa natæ, propria methodo non medentur, XXXIV. 134.

L

Lacrymæ unde? XII. 127
Lochiorum purgationes poſt abortum, vel partum, morbillorum cauſa imminutæ, vel auctæ, periculoſæ, XXVIII. 133

M

Maculæ diarrhœa ſuperveniente quare aliquando evaneſcant? XXV. 132
Materia non ad cutim, ſed alio transfuſa novos morbos producit XXII. 131. XXIV. ibid.

Mro-

Morbilli in quo a variolis differant? §. VI. 125. quando benigni? XI. 126
Morbilli quando maligni? XIV. 128. XV. ibid. quandiu durent? IV. 124. quid sint? ibid. semper cum febre continua, ibid. variolis interdum maligniores, V. ibid.
Morbillorum denominationes, XVII. 129. causſa, V. 124. efflorescentia diutius permanens quare mala? XX. 130. efformatio, VII. 125. scriptores primi, I. 123. subjectum, ib.

N

Natura in expulsione quando juvanda? XXXIX. 136
Naturæ crisi quomodo auxilietur? XLI. ibid.

O

Oscillatio fibrarum vivida eruptionem faciliorem reddit, XII. 127

P

Potus qualis? XXXVIII. 135
Purgationes menstruæ immodicæ noxiæ; XXIII. 131.

S

Signa imminentis eruptionis, XLI. 136
Sputatio frequens salubris, XXXI. 133
Status morbi quare in malignis protrahitur? XXIX. ibid.
Symptomata in morbillis occurrentia VI. 125. XII. 127. XV. 128. XVII. 129. XXIV. 131

T

Tussis unde, & quando? XXI. 131. ferina, cum crassa excreatione, aut cruenta, quid mali indicet? XXXII. 133. crassæ, & cruentæ remedia, XLIV. 137

V

Vesicatoria quando applicanda? XLV. 137. XLIX. 139
Urina suppressa, aut cruenta unde? XXVII. 132

FINIS.

6 Zeu